ANDREÆ OLSZOWSKI, ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS,

&c. &c.

DE

ARCHIEPISCOPATU GNE-
SNENSI,

po roku 1657 [illegible]
cf. p. 23 (1673)

De Archiepiſcopatu Gneſnenſi

CAPUT I.

ARTICULUS I.

ARchiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primuſq; Princeps, Sacræ ac politicæ dignitatis, in univerſo Poloniæ Regno ac Magno Ducatu Lithuaniæ, Provinciiſq; annexis, excellentiâ præfulget, proximumq; â Regia Majeſtate locum, honorem, prærogativas antiquo Jure, & præſcripto uſu obtinet.

Excellentia hæc Archiepiſcopi, in cunabulis naſcentis Orthodoxæ Religionis in Regno, circa annum poſt Chriſtum natum 966. originem cepit, cùm Gneſnenſem Baſilicam, à Miecislao primo Polonorum Principe Chriſtiano, erectam, & fundatam Ægidius Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, Joannis Papæ XIII. Nuntius à latere, in Metropolitanam ordinaſſet. Martinus Cromerus, Epiſcopus Varminenſis, de Orig: & Reb: geſt. Polon: his verbis: *Mox totum ſe ad propagandam per omnem Principatum ſuum Religionem, hortante & adjuvante uxore, convertit. Baſilicas novem diverſis locis ædificat, eaſq; ſuppellectili, omnis generis pretioſa ornat, Cenſibus & poſſeſſionibus locupletat, & in Diœceſes diſtributas, duas quidem ex his, Archiepiſcopatum nempe Gneſnenſem & Cracovienſem, reliquas verò, hoc eſt Poſnanienſem, Smogorzevienſem, quæ poſtea Bycynenſis, ac demum Vratislavienſis dicta eſt, Cruſuicenſem, quæ Vladislaviam ſucceſſu temporis translata eſt, Plocenſem, Culmenſem, Lubuſcenſem, & Camenenſem, ſingulis Epiſcopis attribuit, iiſq; Decimas omnis generis, frugum,*

gum, de ſuis, juxta ac nobilitatis plebisq́; agris, edicto perpetuo adſcribit. Ita quidem, ut eæ decimæ poſt meſſem, ab ipſis aratoribus, ad conſtitutum locum convehantur. ibidem Cromerus. *Anonymus quidam vetuſtus rerum Polonicarum Annotator veriùs, quàm Scriptor: Cracoviæ quoque initio non Archiepiſcopum, ſed Epiſcopum vult eſſe conſtitutum, deinde verò Aaronem Abbatem Tynecenſem à Benedicto Papa V. primum Archiepiſcopum Cracovienſem renuntiatum eſſe, eam verò prærogativam, Succeſſorem ejus proximum Lambertum Zulam neglexiſſe.*

Idem Cromerus Lib: de Republ: & Magiſtratibus Polon: fol: 500. *Archiepiſcopus Gneſnenſis*, inquit, *perpetua quadam Pontificis maximi Legatione fungitur, & Legatus Natus Sedis Apoſtolicæ appellatur, quô nomine ampliorem habet Iuriſdictionem, de qua ſuo loco attingemus. Habet etiam Primatis honorem, ab eadem Sede Apoſtolica, abſq́; eo, quod eſt antiquo Gentis inſtituto & prærogativâ Primas Regni, & Princeps Senatûs. Proinde penes eum eſt poteſtas indicendi Comitia, convocandi Senatum, Senatusq́; Conſulta definiendi & edicendi abſente Rege, & Regno vacante.*

Antiquior Cromerô, Joannes Longinus, vulgò Długoſſus, Canonicus Cracovienſis, judiciô Stanislai Lubienii, Epiſcopi Płocenſis, lib: operum poſthumorum fol: 306. eorum, qui res Sarmaticas ſcriptitarunt, facile Princeps. *Statim* inquit, *in primæva fundatione Archiepiſcopatuum Gneſnenſis & Cracovienſis, & ſeptem Epiſcopatuum, tributum à Miecislao Eccleſiæ Gneſnenſi, ut apud illam decus Primatiale conſiſteret. Hiſt: pol: fol: 176.*

Stanislaus Carncovius, Epiſcopus tunc Vladislavienſis, licet Archiepiſcopis, ob attentatam Stephani Regis Coronationem parum æquus, in Panegyrico ad Henricum Valeſium Regem apud Cromerum, fol: 695. Magna quædam & præcipua excellentia, ac præſtantia ſingularis Archiepiſcopi Gneſnenſis, Legibus, ac moribus Regni noſtri eſt inſtituta,

qui & Rege ipſo vivo, primas partes ſecundùm eum in Regno obtinet, & eò vitâ functò, omnia publica Conſilia moderatur, more Majorum. Hoc quidem in omnes partes tutiùs, quod Eccleſiaſticus homo, cui Perſona Regia rectè imponi non poteſt, à ſuſpicione Regni affectati, prorſus ſit remotus. Et ibidem fol: 696. Archiepiſcopus Gneſnenſis, ſemper habitus eſt Princeps ac os Senatûs, alicubi vocatur Plenipotentiarius Reip: & primus legum Cuſtos.

Idem in libro de Primatu Senatorio pag: 12. Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui Princeps Senatûs habetur, neque Principibus, ac Ducibus Feudatariis ut vocant Regni (olim Maſoviæ, nunc Pruſſiæ & Curlandiæ, qui ex Magiſtris Ordinis Teutonici, à Regibus Poloniæ, Sigiſmundo I. & Sigiſmundo Auguſto Duces creati ſunt) ac ne Fratribus quidem, ac Filiis Regiis, honore ac prærogativâ loci cedit. Tanta autem dignatione eſt antiquitùs, ut ſoli omnium dum incedit, aut vehitur in publico, etiam Rege præſente, ſceptrum, ſeu virga præferatur, advenienti autem Rex aſſurgat. Porrò abſente Rege ejus authoritate cogitur Senatus, & ab eo Senatus Conſulta promulgantur. Hic ipſe Regem ritu ſolenni inaugurat, ſive inungit, & coronat. Et ſi quid publicè Senatus, & aliorum ordinum nomine, de rebus majoris momenti cum Rege agendum eſt, per eum agitur.

Penes eum eſt præſidium adverſus Regum impotentem Dominatum, ſi quid in præjudicium Juris & libertatis attentet. *Et paulò infra:* ita in Archiepiſcopo Gneſnenſi validum & certum eſt gentis contra Regum impotentiam. & injurias præſidium. Et verò habet is, ampliſſimas poſſeſſiones in medio Regni ſitas, quò expeditiùs & majori cum dignitate fungi muneribus ſuis queat. Rectiſſimè igitur penes eum ea, de qua nunc agimus prærogativa Primatus eſt, & eſſe debet, ut Interregni tempore, ad eum cæteri Conſiliarii confluant, communicatoq; Conſilio, de eorum Sententia, locus, tempuſq; eligendi Regis cæteris membris, & Ordinibus Re-

gni denuntietur. Nec id modò: ſed ſubitariis etiam Reip: periculis obviam eatur: ſecuritati & neceſſitatibus moram non ferentibus, proſpiciatur. Legationes externorum Principum ad eum adeunt, denique Electum communibus ſuffragiis Regem is renuntiat, & exacto ab eo Juramento legitimo, ritu ſolenni, ut memoravi coronat. Tanta quidem dignatione prædito, omnes non inviti honorem habent, & obſecundant. Non verentes, ne is utpote Sàcris initiatus, ad Summum apicem aſpiret.

Idem. De eximia illa dignitate, & munere, ſeu Primatu Archiepiſcopi, nulla ullo unquàm tempore fuit controverſia. Cùm Reip: ſimul (Chriſtiana duntaxat) & è viſceribus ejus natus, perpetuo Jus ſuum, in Interregnis præſertim obtinuit, nec eum quiſquam ullo unquam tempore, ante hos aliquot annos convellere, vel debilitare tentavit, licet eſſent nonnunquam Archiepiſcopi non uſquequaque Senatui, vel populo, vel Ordinibus Regni grati. Intelligebant nimirum homines literarum quidem, atque doctrina rudes, ſed naturali ingenio præpollentes, & uſu rerum prudentes, amanteſq; Patriæ, non perſonæ, verùm loci, ac dignitatis ampliſſimæ prærogativam illam eſſe. Atque adeò non tam loco, ac perſonæ Archiepiſcopi, quàm inſigni Regni parti, hoc eſt Majori Poloniæ juſtè ab univerſa Repub: ſive indultam, ſive relictam eſſe. Cùm enim quòdam tempore Inſignia Regni, unà cùm Regis domicilio, & Coronatione, è majore Polonia, in minorem translata eſſent, optimo Jure Majores Poloni, Jus & prærogativam illam eximiam, Primori ſuo, totiuſq; Poloniæ Senatori vendicarunt & retinuerunt.

Auguſtinus Thuanus lib: 56, ad annum 1673. fol: 1608. Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Romanæ Sedis natus, & totius Regni Primas habetur, & ſubtracto è vivis Rege etiam munere apud Polonos fungitur Regio, mittendarum ad exteros Legationum, cuſtodiendorum finium, & promulgandorum Comitiorum Jus habet, Regem Electum pronuntiat,

Sacro

Sacro oleo inungit, Regiumq; Diadema imponit in supremæ dignitatis signum, sublatus ei præfertur baculus, & cibum sumpturo, tympana militaria pulsantur, qui honos soli Regi in Polonia habetur. Aula nulla post Regiam, præterquàm Archiepiscopalis censetur, & Aulici familiares ejus, non famuli, ut ceterorum Episcoporum, vocantur.

Stanislaus Łubinski, Episcopus Płocensis, operum posthumorum fol: 314. *Archiepiscopus Gnesnensis, ab initio susceptæ Religionis in Polonia fundatus, nunquam intermissa dignitate, ad nostra usq; tempora, quos propè septingenti anni continuò suppeditarunt, retinet Sedem, & præeminentiam.* Idem fol: 4051. *Successit Regis Sephani mors, Interregniq; in ipso inimicitiarum fervore, atque tali Reip: statu, ut de ea actum esse, gnari rerum æstimatores non immeritò putarent. Summa rei, more institutoq; majorum penes Archiepiscopum erat.* Idem fol: 144. *Vocaret Cardinalis Maciejovius, Archiepiscopus Gnesnensis universum Senatum, ac deinceps more majorum, qui vel invitos Reges cogebant ad præstanda ea, quæ ex pacto, & legum præscripto, debebant. Senatûs universi Authoritate fretus, officij sui Regem admoneret.* Idem fol: 123. *Archiepiscopi Gnesnensis, cùm Regnum vacare contigerit, munus est, Interregnum pronuntiare, noviq; Regis eligendi conventum edicere, aliaq; Principis Senatûs officia obire.*

Paulus Piasecius, Episcopus Præmislien: in Chronicis anni 1567. fol: 64. Præcipua rerum agendarum authoritas, tempore Interregni est penes Archiepiscopum Gnesnensem, qui est Primas Regni, & Princeps Senatûs, & vicem Regis gerit eo tempore: ille excipit, & expedit Legationes ab Exteris venientes, extra Comitiorum tempus: sub Comitiis autem si veniant, in consessu totius Senatûs audiuntur, & ex sententia Senatus responsum recipiunt ab Archiepiscopo, qui & dirigit Consilia omnia Reip: ac illius muneris est convocare Senatum, indicere Conventus Equestri Ordini, & proponere deliberanda.

Stanislaus Orichovius Roxolanus; *Coronæ Poloniæ* inquit *libertas & dignitas in Primate maiorum nostrorum temporibus consistebat. Secura erat Resp: Iurium & libertatis suæ, quæ custos & defensor Primas, Primusq; Princeps, contra potentiam, cupiditatem, & vim Regiam tutari valebat.* Ex M. S. Bibliothecæ Academ. Cracov.

Simon Starovolscius p. 5. Archiepiscopus Gnesnensis à Concilio Lateranensi, in Spiritualibus vices Summi Pontificis gerit, & Legatus Natus appellatur. In politicis autem præsertim Interregni tempore Pro-Regis authoritatem habet. Et prout Collegium illius Capitulum Gnesnense, ob excellentiam suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, præter aliarum Cathedralium morem, Cancellarium cum dignitate nollet, qui munimentorum & libertatis illorum (omnes enim Nobiles esse debent, nec ad Præbendas admittuntur plebeijs orti parentibus, in ullo Capitulo Cathedrali, in tota fermè Polonia, nisi certus Doctorum numerus assignatus ex fundatione) custos quodammodo est. Sed Archiepiscopus ipse, supra dignitatem & prærogativam aliorum Antistitum, Aulicos, cubicularios, aliosq; Ministros, & Satellites, more Regio habet, & qui inter eos eminet Cancellarium specialem atque Mareschalcum: quorum ille Judicijs Spiritualibus, quæ ad Curiam Archiepiscopalem devoluuntur, cum authoritate præest: hic cùm in publicum Princeps prodit, baculum, seu virgam illi præfert, prout Regibus ipsis præferri in Polonia mos est, & Aulam ipsius totam ipse moderatur.

Joannes Wężyk Archiepiscopus, Epist. in præfat. Const: Prov. ad Episcopos Poloniæ: *Majores nostri Legum & Reip: Regni hujus conditores, primum in Senatu & Rep. locum Episcopos tenere voluerunt, ut & Deo, cujus Episcopi sunt Ministri, & in cujus manu sunt omnium Iura Regnorum deferrent, & illos primos in custodia & tutela Legum & Patriæ collocarent, quos Deus ipse Ecclesiæ suæ Præsides, custodes, & vigiles destinavit.*

Et Stephanus Damalevicius, in serie Archiepisc: Gnesnen:

ſnen: pag. 16. Pius Princeps Miecislaus, Epiſcopis eum honorem præſtitit, ut non modo tanquam Chriſtianæ vitæ Magiſtros ac Duces religioſo veneraretur affectu, verùm eos etiam in partem regiminis adſciret, & primas iis ante alios omnes Regni Senatores, & Reip: Conſiliarios ſedes tribueret. His omnibus antecellit Archiepiſcopus Gneſnenſis, Primus Regni Poloniæ Princeps, qui ſolus poſt Regem aulam habet, ut Equeſtris Ordinis Viri, in ejus duntaxat Curia nomine Aulicorum cenſeantur, quibus Mareſchalcus Aulæ, Senator Regni de Caſtellanorum ordine, præfici ſolet, qui quoties ad publica Regni Comitia venit Archiepiſcopus, publico ſplendori, & Ordini Equitum ſolet præeſſe, auctoritate tantâ, ut abſente Regni Mareſchalco, fas ſit ei, levato baculo regiminis inſigni, Regem in Comitiis publicè prodeuntem anteire, ut *Bielſcius lib: 6.* refert; apud quem *Ucbanſcius*, ſua ætate, hanc prærogativam in uſu fuiſſe, graviter aſſeverat. *Idem pag: 12.* Unus nobis Primas Regni eſt, non modò primo poſt Regem, ſed etiam eodem loco, quô Rex, Interregni tempore ſublimis, utpote omnium Reip: Conſiliorum Princeps, moderator, & arbiter, & proinde ſolus Regium ſub Cruce Diadema, in Stemmate ſuæ dignitatis circumfert.

Stanislaus Kobiericius, Palatinus Pomeraniæ. Hiſt: Vladislai lib XI. *Ioannes Wężyk, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Primas, Primusq́ Princeps, ad quem jam ab obitu Regis Suprema Regni ſpectabat cura, primum de Regis dubia valetudine tandem & exceſſu celerrimis Nuntiis edoctus Varſaviam venit.*

ARTICULUS II.

SEd operæ pretium imprimis videtur, de Archiepiſcopis in genere, deque eorum dignitate, & Juriſdictione, Selectiora præmittere.

I. Archiepiſcopus dicitur, à græco vocabulo Archi, quod idem eſt ac Princeps, quaſi Princeps, ac ſummus Epiſcoporum.

 Can:

Can: Cleros 21. diſtinct. ex quo præeſt omnibus ſuæ Provinciæ Epiſcopis DD.

II. Archon olim, Summus Principatus Athenis, qui Judicibus præſidebat. *Cic: de Fato.* Archidux dicitur, ex quo eſt primus inter omnes alios Duces.

Hinc Archiepiſcopus, Dux Epiſcoporum dicitur, per *Marant: de Iuriſd: par: 2. cap: 53. num: 27.* eâ ratione, quia ſicut dicitur Dux habere ſub ſe plures Comites: ità etiam dicitur Archiepiſcopum habere plures Epiſcopos, ad quod ſufficit, etiamſi unum tantum habeat. idem *Marant eodem loco.*

III. Archiepiſcopus, alio nomine vocatur, Metropolitanus, à menſura Civitatum, quia Metropolitanus debet habere ſub ſe decem, vel undecim Civitates, & totidem Epiſcopos. *cit: Can: Cleros 21. diſtinct.* circa principium ibi: *Metropolitani autem à menſura Civitatum vocantur,* ubi gl. in verbo à menſura, *ſed meliùs dicitur Metropolitanus à metros, quod eſt mater, & polis, quod eſt Civitas, quia Eccleſia & Civitas, Metropolitani, eſt mater aliarum Civitatum, cap: de his 2. diſt: & fol: 3. Covar: pract: quaſt: lib: unic: cap: 19. ſub n. 2.* Matrix Civitas, ſeu urbs latinè dici poteſt, nam mytra matricem ſonat, polis Civitatem, quod quemadmodùm, in pecore ex matricibus novi ſemper fœtus: ita ex Metropoli, novæ Civitates propagantur. *Calep.* Metropoles à Tertulliano lib: de præſcrip. cap: 20. *matrices ác originales fidei vocantur, à quibus* inquit *traducem fidei, & ſemina doctrinæ, cætera exinde Eccleſiæ mutuata ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant.*

IV. Idem autem ſunt, Archiepiſcopus & Metropolitanus, prout probatur expreſſis verbis, *cap: paſtoralis de Off. Iud: Ordin.* non tamen negari poteſt, reperiri nonnullos Archiepiſcopos qui non habent Suffraganeos, & proinde in rigore, non poſſunt dici Metropolitani, ut ſunt in Regno Neápolitano, Archiepiſcopus Roſſanen. & Lacianen. *Ioan: de Ventriglia, de Iuriſd: Archiep: cap: 1. §. 9.*

Quod

Quod autem Archiepiscopus, debeat sub se habere decem, aut undecim Civitates Suffraganeas, *ex can. scitote. 6 9. 3.* hodie non est in usu, quia dispositio dicti Can: non fuit perpetua, tùm etiam quia alius numerus Episcoporum fuit assignatus, in unaquaque Provincia. *Barbos de Iure Eccl: cap: 7. num. 3. & alii.*

V. Primus Archiepiscopus Hierozolymorum ordinatus fuit Sanctus Jacobus. *can: porro 66. distinct.* Cùm Spiritus Sanctus constituerit Episcopos, ad regendam gregis certam portionem, Acto. cap: 20. *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* necessarium fuit ad retinendam Ecclesiæ, quâ constat, & regitur unitatem, institui ab Apostolis modum quendam Communionis inter Episcopos, secundùm exemplum à Christo datum, in institutione Collegii Apostolici, quod universum Ecclesiæ corpus repræsentabat: ideoque præscribenda fuit ab eis forma regiminis Aristocratici, nimirùm ità, ut unus præsideret. Præclara sunt in hanc rem verba Leonis Papæ I. *ex Epistola ejus LXXXVIII. Inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset Electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma Episcoporum etiam orta est distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia & rursùs quidam in majoribus Urbibus constituti, solicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad Beatam Petri Sedem universalis cura conflueret.*

VI. In diversis locis Epistolarum Apostolicarum, deprehenditur distributio Ecclesiarum in Provincias D. Petr: ep. 1. c. 1. *Salutat vos Ecclesia, quæ est Babilone.* Paul: ep: ad *Galat:* c. 1. & 1. Cor. c. 16. meminit Collectarum, quæ fiunt in Ecclesiis Galatiæ, 2. *Cor., c. 8. 1. Cor: c. 16. Rom: c. 15. Probaverunt Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum qui sunt in Ierusalem, c. 1. Ecclesiæ*

Dei, quæ eſt Corinthi Apoc: c. 1. *Mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia, Ephеſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, Philadelphiæ & Laodiciæ.*

VII. Sed pro evidenti argumento inſtitutionis Metropolitani, adducitur Epiſt: Pauli ad Titum c. 1. *Reliqui te Cretæ, ut conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Quæ authoritas conſtituendi, & ordinandi Presbyteros id eſt (juxta interpretationem ipſiuſmet Pauli, verſiculo ſequente, S. Hieronymi, S. Joannis Chryſoſtomi) Epiſcopos, Metropolitana fuit, & quamvis ordinabantur per impoſitionem manuum Presbyteri, videlicet vniverſis Epiſcopis manum imponentibus, tamen uni tantùm competebat Jus tribuendi vim ordinationis Tito apud Cretam, & ad exemplum illius, unicuique Metropolitano, in ſua Provincia.

VIII. Metropolitanorum Jura, ex antiqua conſuetudine, ut fatetur *Concil: Nicenum primum c. 7.* derivantur. Cujus antiquæ conſuetudinis, cùm nullam aliam habeamus originem, ad Apoſtolos ex regula Auguſtini, referri debet: Aug: lib: 5. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap: 24. *quod enim* inquit ille *univerſa tenet Eccleſia nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Atque inde eſt, quod *Gregorius 7. lib: 6. Epiſt:* 34. Provinciarum Eccleſiaſticarum diviſionem, atque Metropolitanorum inſtitutionem, ab Apoſtolis & Beato Clemente repetat.

IX. Ex Inſtitutione Chriſti, ex Decreto Beati Petri, Clemens ejus Succeſſor, ſingulas diviſit Provincias, & in Diœceſibus, ſeu majoribus Civitatibus cujuſque Provinciæ, Præſides, ſeu Metropolitanos conſtituit, quibus reliqui Epiſcopi Diœceſium illius Provinciæ ſubeſſent, & ad quos, eorum Epiſcoporum Cauſæ & aliæ graviores, quæ per ipſos expediri non poſſent deferrentur. *Anacletus in Ca: 1. 99. diſtin. Clemens in cap: in illis 80. diſt: cap: Scitote q. 9.|3. ca. Per ſingulas 1. & 2. q. 9. 3.* Ratio ea fuit, ut ita Eccleſiarum guberna-

tio

tio eſſet expeditior, majorq; ejuſdem ornatus, & pulchritudo *text: in d. cap: 1. cum alijs Henriques lib: 10. cap: 30. in principio.* Inſtituendi Metropolitanos in Civitate, quæ Provinciæ caput erat, rationem explicat Synodus Antiochen: c. 9. ex opportunitate & commoditate populorum propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Fuiſſe autem dignitatem Archiepiſcopalem adinventam, ad extendendam formam ordinandi, & Jus eligendi Epiſcopos, quæ priùs ac naturaliter fuerat radicata in Petro docet *Lotter: de re: benef: lib: 1. q. 9. num: 41.*

X. Archiepiſcopus tenet vicem Apoſtolicam, cit: c. cleros 21. diſt. & præſidet cæteris Epiſcopis, ibid. *Singulis Provinciis præeminet, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri Sacerdotes ſubjecti ſunt, ib.* Sine Archiepiſcopis nihil reliquos agere licet Epiſcopos, ſolicitudo enim totius Provinciæ, ipſis commiſſa eſt. *Sylveſt: in verbo Archiepiſcopus Homobo: de Statibus humanæ vitæ p. 1. cap: 6.*

XI. Archiepiſcopi maxima dignitas eſt in Eccleſia, quæ præeſt Epiſcopali, eſt perſona magis Privilegiata, *cap: ſervatis & cap: igitur 25. q. 2.* cujus Privilegia inconcuſſa ſervari debere jubet Hormiſda Papa ep: ad Joannem Epiſcopum.

XII. Archiepiſcopum habere in ſui cuſtodiam ratione officii Archangelum, præter privatum Angelum, qui ſibi ut aliis privatis conceſſus eſt, aſſerit *D. Thomas 1. p. q. 114.* Archiepiſcopi dicuntur Regum Patres, & Magiſtri *cap: quis dubitet* *diſtin: 96. q. 6.* quod etiam Epiſcopis convenit, Succeſſores enim ſunt Apoſtolorum, qui fuerunt Patres credentium. *Gerund Ventrigl: & alij.* Archiepiſcopus Pater & Epiſcopus animarum ſuorum Suffraganeorum, juxta Innocentii III. reſcripta, quorum exempla ſubiicit. *Quaranta V. Archiepiſcopi auctoritas: num: 6.* Archiepiſcopi in Hiſpania connumerantur inter Magnates & coram Rege ſedent operto capite. *Cæſar de Eccleſiaſtica Hierarch: diſp. 5.*

XIII. **Eccleſia Metropolitana, cujus Rector eſt** Archiepi-

ſcopus, eſt grandioris honoris Suffraganeâ, quæ eſt ſub Juriſdictione, poteſtate, & ſubjectione Archiep: & Eccleſiæ Metropolitanæ, prout poſt *Pavin: de Offic: & poteſt: c. ſed vac: par: 2. q. 6. ſub num: 6. docet Barbos. de Iure Eccl: lib: 1. c. 7. num: 12.* Unde appellatur auctoritas Metropolitana *cap: ſolicitudinem de appell: cap: de his 12. diſt: cap: fin: 50. diſt.* & alias dicitur Metropolicum Jus *cap: cum à nobis de Arbitr: & in auth: de Eccleſ. tit: in princ.* Unde eſt, quod Archiepiſcopus de Jure habet fundatam intentionem, contra omnes Epiſcopos, & Eccleſias ſuæ Provinciæ, & ei datur manutentio, in quaſi poſſeſſione Juris Metropolici contra illos, ut poſt Rotam *apud Tambur: in fin: Tom: 3. de Iure Abbatum deciſ: 56. num: 1. & 2. docet Barbos loc: cit: num: 13.* & tenentur Suffraganei in ſuis Eccleſiis, quod ſervatur in Metropolitana. *Quar: ſumm: Bullar: verb. Archiepiſcopi auctoritas* & alii *Pontifex in cap: dilectus de Simon.* reſcribens Archiepiſcopò Cantuarienſi eidem præcipit, quod injungat ſuis Suffraganeis, ut eandem formam, per ſuas Diœceſes ſtudeant obſervare. Tenentur enim ſervare conſuetudinem Metropolis in divinis officiis, & modo pſallendi, prout diſponitur *cap: de iis diſt: 12. cap: altaria 1. de conſecrat. diſt: 1. cap: inſtitutio de conſecr: diſt: 2.* ubi diſponitur, quod ſicut in Metropolitana Eccleſia, itâ ubique Miſſarum Solennia celebrentur, notat. *Quarant. Summ: Bull: verbo Archiepiſcopi auctoritas verſ: 22. auctoritas ibid.* quia modus officiandi, concernit totum ſtatum Provinciæ ibid.

ARTICULUS III.

Inſignia Archipræſulum propria ſunt Pallium & Crux.

I. PAllium eſt Inſigne Archiepiſcopi, & ſpeciale ornamentum de Corpore B. Petri ſumptum. *Barboſa de Iure Eccleſ. lib: 1. cap: 7. num: 103.* Summiſtæ ac DD. Benedicitur & conſecratur à Papa ſuper altare B.

Petri & ibi ponitur, & inde traditur Archiepiſcopo præſenti, vel ejus Procuratori ſi eſt abſens. *cap: quoniam, 100. diſt.* Pallium venerabile Archiepiſcopi Inſigne, ſenſibus myſticis plenum *Cerem: Epiſc: lib: 2.* Hujus Inſignis rationem reddit *D. Gregorius* ad Epiſcopum Solymitanum, & de eo *Tertull:* librum ſcripſit, quo ejuſdem vetuſtatem & uſum edocet.

II. Pallio utitur Summus Pontifex, in ſignum plenitudinis poteſtatis, ſemper & ubique. DD. uſus Pallii fuit conceſſus, primò à Marco Primo Pontifice, Epiſcopo Oſtienſi Decano Cardinalium, qui ipſum Papam conſecrat. *Baron: & Coriol. in anno 336.* Non tamen ſequitur uſum Pallii (quod etiam habet Epiſcopus Papienſis in Lombardia, Bambergenſis in Germania, Quinque Eccleſien. in Hungaria) convenire Epiſcopis: nam reſponderetur id eſſe ex particulari & ſpeciali Privilegio Sedis Apoſtolicæ, neque cum pari effectu Archiepiſcop. dicitur eſſe neceſſarium Epiſcopo indultum C. 3. tr: de authoritate & uſu Pallii. *Barbos de Iur: Eccleſ. lib: 1. cap 7. num. 103.*

III. Pallium eſt loco ſuperhumeralis, quô utebatur Summus Sacerdos in lege veteri. *Exod. 28.* & ſuperhumerali illo conſpicuo quô Summus Sacerdos Hebræorum ornabatur, non poterat uti alius Sacerdos, vel Pontifex, ibid: *Exod: 28.* Quamvis alii exiſtimaverint, uſum Pallii deſumptum fuiſſe ex illo *Geneſ. cap: 49.* Lavabit in vino ſtolam ſuam & in ſanguine ejus Pallium ſuum, vel *ex cap: 9. ejuſdem Geneſ.* ibi Pallium impoſuerunt humeris ſuis, & *cap: 4. extendentes deſuper. Pallium torquis effigiem habere, prout inſigniore laurea egregiè certantes olim donari ſolebant, Petrus de Bello Æconomiæ Canonicæ* §, 2.

IV. Pallii ornamentum & Privilegium eſt perſonale, cum Perſona enim Archiepiſcopi ſepelitur, proinde non tranſit ad Succeſſores, tamen concedi ſucceſſoribus, cum petierint, aliàs injuria illis fieret *gl: in Can: Scriptorum, atq; Privilegia diſt: 100.* Conceditur autem à ſolo Romano Pontifice in ſignum

ple-

plenitudinis poteſtatis, quæ à ſola ſede Apoſtolica, ejuſq́, Præſidente Romano Pontifice Petri Succeſſore in cætera membra Eccleſiaſtica profluit *Caſtal: in prax: Cerem.* Archiepiſcopi decorantur hac honorariâ veſte Pallii ea ratione, quia cùm ii à Sede Apoſtolica ſuſcipiant aliquam excellentiam honoris, ſupra alios Epiſcopos, conveniens fuit, ut etiam ab eadem Sede ſuſciperent ornamenta deſignantia excellentiorem illam dignitatem. *Turrecrem: in Can: 1. num: 2. diſt: 100.*

V. Pallium ex lana agni conficitur, in quo multa myſteria, & omnia ſunt moralibus imbuta myſteriis, & Divinis gravida Sacramentis. *Gugl: in rational.* In candore lanæ benignitas deſignatur, *Turrecrem: in cap: 1. num: 4. diſt. 100.* In lana deſignatur aſperitas, nam Eccleſiaſtica diſciplina erga rebelles & obſtinatos, ſeveritatem exercet, erga pænitentes & humiles exhibet pietatem. Lana in Pallio non cujuslibet animalis, ſed ovis, ſive agni, Symbolum eſt humilitatis, quod verè eſt proprium inſigne Pontificatûs juxta Sententiam. *Gregorij lib: 4. Epiſt: 51. in hæc verba.* Decorari Palliô volumus forſan moribus indecori: dum nihil in Epiſcopali cervice ſplendidiùs fulget, quàm humilitas, ut refertur in *Can: contra morem SS. decorari diſt. 100.* vel figuratur manſuetudo, quæ celebratur in tali animali. *Iſa: 53. tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt*, quô ſignificatur manſuetudo Summi Paſtoris. Circulus Pallii ſignificat ipſius Pontificis officium in quærendo ovem perditam, vel aberrantem, inventamq́; humeris ſuis tollendo, quo ſcilicet Pontifex, qui Chriſti typum gerit, ipſiuſq́; munere fungitur, ipſo quoque extrinſeco habitu omnibus inſinuaret, ſe boni illius, ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit, ut ex Iſidoro Peluſiota *ad Hermin: Epiſt: 136. lib: 1.* notavit *Baron, anno 216. num: 15.* & nuncupatur ovis errantis typus. *D. Thomas in 4. diſt: 24. Baron.* iterum *in anno 153. num: 7.*

VI. Pallium non datur, niſi fortiter poſtulanti *Can: priſca*

100.

100. distinct. Prisca consuetudo obtinuit, ut honor Pallii, nisi exigentibus Causarum meritis, & fortiter postulanti, dari non debeat, unde debere illud Electum cum magna instantia & frequenter postulare, declarat *Abb: post Ioan: Andr: in cap: ad honorem de auct: & usu Pallii num: 8.* Forma postulationis his verbis peragitur.

Ego N. Electus Ecclesiæ N. instanter, instantiùs, & instantissimè peto mihi tradi & assignari Pallium, de corpore Sancti Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii.

VII. Postulare autem Pallium tenetur Archiepiscopus intra tres menses *c. quoniam 100. distinct.* qui tres menses dati per Concil: Trid. Sess: 7. de refor: cap: 9. ad Consecrationem censentur etiam dari ad petendum Pallium. *Barbos de Iure Ecclesi: lib: 1. cap: 7. num: 115.* quibus elapsis, cessante Causa, vel justo impedimento, posset removeri à dignitate. *Turrecrem n. 14. Decian: Lotter.*

VIII. Pallium potest accipi per Procuratorem, sed cum speciali Mandato, ad illud nomine ipsius Archiepiscopi absentis recipiendum. *Io. And: in cit: cap. ad honorem, de auct: & usu Pallii.* Quodsi Procurator missus ad petendum Pallium, moriatur in via, vel infideliter agat, tenetur Archiepiscopus, statim habitâ notitiâ de morte, vel tali impedimento, intra tres menses, mittere alium Nuntium, aliàs non excusatur à pæna; & si iterum impeditur secundus, tenetur mittere tertium successivè *Alb: ibid.*

IX. Archiepiscopus etsi sit Electus, confirmatus, & consecratus, ante traditionem Pallii, non vocatur Archiepiscopus, *per text: in cap: nisi specialis de auct: & usu Pallii* in verbis: *Sane si postulatio Trojani Episcopi ad Panormitanam Ecclesiam fuisset per nos, etiam approbata, non tamen deberet se Archiepiscopum appellare, priusquàm à nobis Pallium accepisset, in quo Pontificalis Officii plenitudo, cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur.* Nec habet Archiepiscopus plenum Jus, & quia in Pallio inest plenitudo potestatis, ante e-

jus receptionem, non poteſt Prælatus facere ea, quæ ſunt honoris, & dignitatis, non poteſt Concilium convocare, conficere Chriſma, dedicare Baſilicas, ordinare Clericos, Epiſcopos conſecrare, Virgines benedicere, Crucem præferre, ſed ſtatim illo accepto elevatur ad benedictionem Crux, *ita DD. & Cerem: Epiſc. lib: 1. cap: 25.*

X. Hoc obtentu nondum recepti Pallii, Nicolaus Praſmovius Archiepiſcopus Gneſnenſis, licèt Bonorum Archiepiſcopatûs, & loci primarii in Senatu, poſſeſſione jam accepta, Sigillum, id eſt Supremum Regni Cancellariatum, legibus Polonicis incompatibilem, dimittere in Comitiis Varſavienſibus, anno 1666. diutiùs renuit, ſed fervidis inſtantiis Nunciorum ex Palatinatibus, ſub finem Comitiorum, abdicare adactus eſt, qui Magiſtratus ampliſſimus, mihi tunc Epiſcopo Culmenſi à Rege Divæ memoriæ Joanne Caſimiro in facie Reip. de Conſilio Senatûs, collatus fuit.

XI. Archiepiſcopus, de receptione Pallii, debet procurare literas, necnon de Juramento præſtito, aliàs non participat de fructibus Eccleſiaſticis, *juxta text: in extravag. Cùm incipienti*, injunctæ, & DD. Forma traditionis Pallii extat in Pontificali Romano.

XII. An Archiepiſcopus, extra Eccleſiam ſuam poſſit uti Palliô, dubium movetur, ex verbis formulæ, *ut eô utaris intra Eccleſiam tuam.* Sed reſolutum: poſſe uti Pallio, intra omnes Eccleſias ſuæ Provinciæ, etiam exemptas. *Cap: de 1. auctor. & uſu Pallii*, in verbis, quod ita intelligitur, videlicet, intra quamlibet Eccleſiam Provinciæ tibi commiſſæ, & Eccleſiarum appellatione, non venit tantùm Metropolitana Cathedralis; ſed etiam veniunt Eccleſiæ totius Diœceſis, & Provinciæ.

Archiepiſcopus egrediens Eccleſiam, quacunque veſte indutus, & proceſſionaliter cum Capitulo & Clero, vel aliàs ſolenniter, non poteſt uti Pallio, advertunt communiter DD.

Capella Eccleſiæ, cenſetur pars Eccleſiæ.

Ex-

Extra Provinciam, stante licèt Privilegio Apostolico, super usu Pallii requiritur consensus ad utendum, non solùm Episcopi; sed etiam Archiepiscopi Provinciæ; quia Archiepiscopo videtur præjudicari, qui habet usum Pallii in sua Provincia. DD.

XIII. Pallium, invitato ad celebrandum, alteri Archiepiscopo commodari non potest: si verò Archiepiscopus ad Episcopum transferatur, (quod non inusitatum esse novimus, legimusq; in Catalogo Concil: Trid: aliquos ex Archiepiscopis, Episcopos) uti Pallio, post Translationem non potest: quia non est ampliùs Archiepiscopus, & Pallium fuit concessum Personæ ratione loci. *Diana resol: 37. ver: 1. in fin: Barb. cap: 7. num: 121. Sacr: Congreg: in Majoricen: 16. Octob: 1604.*

ARTICULUS IV.

ARchiepiscopi alterum insigne, Crux est, quæ præsentatur Prælato: ut sicut ipse Christus, pro ovibus suis, animâ suam posuit: ita Præsul pro grege sibi commisso vigilet, ut boni Pastoris nomen sortiatur. *Tusc. de visit. lib: 1. cap: 4. n. 8.* De Cruce Archiepiscopi habetur *in cap: ut lite penden: in clemen: 2. de Privil: Cerem: Episc: Pontificale Rom.*

II. Archiepiscopus præferri sibi facit Crucē per totam Provinciam, etiam in locis exemptis. *Clemens V. in Concilio Vien: in clemen: 2. de Privilegio.* Extra Provinciam non potest deferri ante se facere Crucem, nisi per Privilegium, consuetudinem, & præscriptionem Jus acquisiverit, ad quam inducendam, sufficient. 40. anni, *Abb: in cap: 1. num: 9.* ut lite penden: Prælatio Crucis est Insigne Superioritatis & præeminentiæ *Id: ib.* Signum & ornamentum dignitatis & jurisdictionis DD. quâ utitur Archiepiscopus, non solùm ad Divina officia, verùm etiam ad alia negotia. *Cerem: Episc. lib: 1. cap: 2.*

Crux immediatè defertur ante Archiepiſcopum, & imago Crucis vertitur ad ipſum Archiepiſcopum. *Cerem: ibi.* Archiepiſcopus non ſolum in ſua Diœceſi, ſed etiam per totam Provinciam, benedicere populo, tàm ſimplici, quàm ſolenni benedictione poteſt. *Clem: 2. de Privilegio ubi, DD.* communiter notat Quarant *Summ: Bull: verbo Archiepiſcopi authoritas. verſ. 29. Lotter. de Re benef. lib: 1. q. 22. num: 27.* etiam per loca exēpta ſuæ Provinciæ, ſolenniter in functionibus, & ſimpliciter eundo, vel itinerando, etiam populo exempto benedicendi poteſtatem habet. *Quarant: cit: loc. & alij DD.* quia benedictione delentur peccata venialia *DD. communiter.* Ad ſolennem verò benedictionem elevatur ante Archiepiſcopum Crux. *Caſtald: in prax. Cerem.*

III. Epiſcopus præſente ſeu adveniente ſuo Metropolitano, ceſſare debet à benedictionibus privatis, *Cerem: Epiſc: cap: 4.* ac etiam à Solennibus exercendo munia Epiſcopalia, quibus ex urbanitate Metropolitanus intervenire non curet, ne ob ejus præſentiam & dignitatem, vel Epiſcopus à neceſſariis functionibus Epiſcopalibus abſtinere cogatur, vel ſaltem interpoſitâ mora, & majori cum difficultate, actus prædicti executioni demandentur. *ibid.*

IV. Archiepiſcopus præſente Nuntio, debet ipſum rogare Nuntium, ut populo benedicat, ut populus cognoſcat dignitatem Apoſtolicā, ſed Nuntius hoc remittere debet Archiepiſcopo. *Sac, Cong: Rit: in Taurinen: 9. Martij 1593. quam refert Aldan: & Barbos.*

Similiter in Bulla aurea Electorali Caroli IV. Tit: de Benedictionibus Archiepiſcoporū pag. 414. *Elector Archiepiſcopus in præſentia Imperatoris, Miſſarum ſolennia celebrans, in benedictionibus poſt finitam Miſſam, ac etiam ante menſam, faciendis & in gratiis poſt cibum acceptum agendis, debet charitativa inclinatione, alterum Electorem Archiepiſcopum præſentem invitare, & tamen ipſemet ad benedictionem procedit.*

ARTI-

ARTICULUS V.

I. ARchiepiscopus habet usum Pontificalium, in tota Provincia, Clem: 2. de Privilegiis in verbis, *Divina officia privatim, vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in sua præsentia sine Pontificalibus celebrari.* Et hoc in quovis suæ Provinciæ loco etiam exempto. Et potest Archiepiscopus in Provincia, & quovis loco collocare Sedem, quia id spectat ad honorem Ecclesiæ, & est de accessoriis ad celebrationem ita DD.

II. Potest in tota Provincia sine licentia Episcopi exercere ea, quæ sunt honoris & præeminentiæ Archiepiscopalis. Plerique contra fortiter urgent, juxta *Concil: Trid: Sess: 6. de ref. cap: 5. Nulli Episcopo liceat cujusvis Privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, sine licentia Ordinarij sub pœna suspensionis ab exercitiis*: sed respondetur huic objectioni, *Trid:* loqui tantùm de Episcopis: & quia materia est odiosa, appellatione Episcopi, non venit Archiepiscopus: sicut appellatione Cathedralis in odiosis, non venit Metropolitana *Ioan: à Cochier: Barbos de appellat verb. Iuris significat, appell: 43. n. 1.* qui ex hoc deducit, quod illegitimus dispensatus ad obtinenda beneficia in Cathedrali, non potest illa obtinere in Metropolitana secundùm *Menoch: Rebuff. & alios*, & illegitimus dispensatus à Papa, ad Episcopatum non dicitur dispensatus ad Archiepiscopatum *Maiol: de irreg: lib: 1. cap. 9. n. 6. Sayr. de Censur: l. 6. c. 11. n. 29. Sanctorel. var: resol: par: 1. q. 38. n. 16.* Sed illegitimus dispensatus ad dignitatẽ Cardinalatûs à Papa, censetur dispensatus ad Archiepiscopatũ, & quamcunque aliam dignitatem minorem; quia cui conceditur majus, censetur concedi etiam quod minus est, [*Gerund: in Episc. lib: 2. dispen: 5. cap: 5. n. 4. ubi n. 5. cap: ex parte de decim.*

III. Multò minus appellatione Episcopi, venit Legatus Natus, & Primas, qualis est Archiepiscopus Gnesnensis. Idcirco

circo benè advertendum verbum Concil: *cujusvis Privilegij*. Nam in Legato Nato, non eſt Privilegium, quod eſt lex privata Cauteria Juris, ſed Jus in corpore Juris Canonici relatum, ubi Summus Pontifex, expreſsè diſtinxit officium Archiepiſcopi Cantuarienſis ut Primatis, & Metropolitani, ab Officio Legationis Natæ *cap: 1. de off. Legati.*

IV. Pari ratione *Concil: Trid: Seſſ: 24. cap: 20.* cùm tribuit Ordinariis cognitionem Cauſarum in Prima inſtantia privativè quoad omnes, excepto tamen Summo Pontifice ut ſub hac diſpoſitione comprehenderet Legatos Sedis Apoſtolicæ, proinde expreſſam de ipſis fecit mentionem ibid. *Legati quoque etiam de Latere Nuntii* quod dum non facit in prætact, *cap: 5. Seſſ. 6.* cenſetur noluiſſe comprehendere quoad exercitium Pontificalium Metropolitanos & Primates: cùm Primas Archiepiſcopis, & Epiſcopis præſit. *Azor. par: 2. lib. 3. cap: 35.* etſi Primati Archiepiſcopus ubique cedit. *Lotter: de re benef. tit. 1. lib. 1. quæſt. 9. num. 33.* multò magis Epiſcopus.

V. Diſpoſitio Clemen. Privil. permittens ipſi Archiepiſcopo uti Pontificalibus per totam Provinciam, etiam in locis exemptis, ſic loquitur. *Archiepiſcopo per quævis loca exempta ſuæ Provinciæ facienti tranſitum, aut ad eam forſan declinanti, ut Crucem ante ſe libere portari faciat, benedicat populo, Divina officia privatim, vel publice ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in ſua præſentia ſine Pontificalibus celebrari (quovis Privilegio non obſtante) Sacro approbante Concilio, præſentis Conſtitutionis ſerie duximus concedendum.* Cùm ſit Concilii Generalis Viennen: non cenſetur & derogatum per clauſulam generalem, niſi expreſſa mentio fiat Concil: Generalis dicendo. *Non obſtante quavis Conſtitutione ſeu lege* in Concilio generali edita, *per text: in cap: ex parte, & cap. ultimo de Capell: Menoch Archid: in cap: 1. de Conſtit. in 6. fol. in cap. nonnulli col: 4. ſub n. 2. de reſcript. Covar. in epitom. par. 2. cap: 8.*

§. 9.

§. 9. *num: 6 Merlin. de Iuſt. & jur: tract: 2. diſput. 173. verſu occaſione legitimationis. Henriq: in Summ. lib: 7. cap: 26. n. 3. Sanch: de Matr. lib. 3. diſputatione 16. n. 7. & lib: 8. diſp. 35. n. 17.*

VI. Nuntium Apoſtolicum non debere Pontificalia exercere in Eccleſia Archiepiſcopi, ſine ejus licentia, decidit. *Sacr: Congr: Rit. ſub die 13. April: 1630. Ventrigl.*

VII. Poteſt Archiepiſcopus uti Baldachino in ſua Diœceſi, & in quacunque parte Provinciæ ſuæ, etiam in locis exemptis *Ioan. Ventrigl: de Iurisdictione Archiep. cap. 22. num: 6.* Nam Archiepiſcopus aſſimilatur Ducibus: proinde ad exemplum Ducis illi conceditur Baldachinum, prout multis argumentis probat. *Mart. de Iuriſdictione par. 2. cap 53.* per totum. Et ſi Archiepiſcopus impediatur uti baldachino in Provincia, poteſt contra impedientes procedere *Ventrig. loc. cit. num. 7.* & excommunicare illos, qui impediunt, ex diſpoſitione *Concil. Trid. Seſſ. 23. cap. 2.* ubi cenſuræ relaxantur ex cauſa ardua; ſed quæſtio honoris dicitur cauſa ardua, *per text. in L. inimicitia, in fine ff.* de his quibus ut indignis: etenim in tanto pretio honos haberi debet, quod pari paſſu, cum vita ambulet *L. juſta ff. de manumis. vindict. Riccius in praxi reſol. 313. num. 2.*

VIII. Archiepiſcopo ſolenniter in Eccleſia aliqua Cathedrali celebranti, vel Proceſſiones peragenti, non ſolùm Canonici, qui neceſſarii ſunt in Miniſterio, ſed omnes alii Canonici Cathedrales debent aſſiſtere parati, videlicet Dignitates cum Pluvialibus, Canonici, Presbyteri cum Planetis, Diaconi & Subdiaconi, Dalmaticis & Tunicellis, & ſi omnes aſſiſterent cum pluvialibus, eſſet abuſus. Prout voluit *Sacr. Cong. Rituum in Neapolitana 25. Martii 1602. & in Placentina 19. Maij 1613. teſte Barbos de Canon. & dignit. cap. 33. num. 28. Ventrigl. cap. 25 num. 11.* Secus tamen eſt, ſi alius Epiſcopus, vel Suffraganeus invitatus ab Archiepiſcopo ſolenniter Miſſam vel Proceſſionem celebraret, illi enim non debent aſſiſtere omnes Canonici ut ſup: parati; ſed ſolùm illi, qui

ſunt

ſunt neceſſarii in Miniſterio. *Sacr: Congr: Rituum in Bracharen. 1. Septembris 1607. Barbos Summ. Apoſtolicarum decis verbo Canonici aſſiſtentes num: 13.* Sed in hac materia, aſſiſtentiæ faciendæ, ſervandum eſt ad unguem Ceremoniale Romanum, ita mandante *Sac: Cong: in diverſis deciſionibus & Bullis Clementis VIII. Innocentii X. ibi impreſſis.*

ARTICULUS VI.

I. ARchiepiſcopus de Jure poteſt liberè viſitare totam ſuam Provinciam. *text. in cap: cum Apoſtolus gl. verbo Archiepiſcopi cap. ſopitæ. cap. ſuper eo de cenſibus cap. cum ex officiis de præſcript.* Omnes Eccleſias Provinciæ & Suffraganeorum, non ſolum majores, ſed etiam minores, & quamlibet Parochiam etiam minutam, prout advertit. *Pavin: de viſit. 1. par. q. 3. num. 30.* quæ viſitatio non debet fieri ex improviſo, ſed exemplo Chriſti, qui perituri mundi mala denunciavit, ut eò minùs perturbent venientia, quò fuerint præſcita, *L. obſervare ff. de off. Proconſulis* debet ſignificare diem ſui adventùs illis, quos intendit viſitare. *Pavin. de viſit. L. cit. de viſit. per Archiep. prolixè Hallier lib: 4. artic: 6.*

II. Jaroslaus Archiepiſcopus Gneſnenſis viſitavit Metropolitico & Primatiali Jure Eccleſiam Cracovien: *Stat: Polon: tit: decimæ*, & per Bullam *Leonis X. idem.* Archiepiſcopus, per ſe, vel per alios, loca ſibi Metropolitico Jure ſubjecta viſitare tenetur, *in Conſt: Synod: fol. 320.* atque in viſitationibus, neceſſitatibus, & indemnitatibus Eccleſiarum & Cleri providere, & negligentias ſupplere. *Eadem Bulla ibid.*

III. Hodie tamen *per Concil: Trid: Seſſ. 24. cap: 3.* prohibetur Archiepiſcopis Provinciam ſuam viſitare, niſi priùs Diæceſi ſua planè viſitata, & nonniſi causâ cognitâ, & probata, in Concilio Provinciali.

IV. Sed cùm in Polonia, ob remotiſſimas Ecceſiarum diſtan-

diſtantias, & Archidiæceſis Gneſnenſis vaſtiſſimam amplitudinem (quæ teſte *Damalevitio pag: 37.* longè latèque, ad milliaria germanica centum circiter protenditur: nam à Konieczenſi Eccleſia, quæ in confinio eſt Diœceſis Cracovienſis, decem milliaribus Cracoviâ diſtans, ad Podbiedzyſcenſem in in majore Polonia, in longum prodeunt milliaria 58. à finibus verò Caſſubiorum, ad fines Sileſiæ, & inde per auſtrum ad aquilonem, Juriſdictionis Archiepiſcopi Gneſnenſis pluſquam 50. milliaria numerari poſſunt) plena & antecedens ejuſdem Archidiœceſis viſitatio, vix multorum annorum ſpatio peragi valeat: Concilia autem Provincialia non facilè congregantur: prout ab ultimo Lubieniano, in anno 1673. celebrato, quintus ultra trigeſimum annum excurrit: neceſſitas etiam ſingulis trienniis juxta *Trident: cap: 2. Seſſ. 22. de Refor: & Conſt: Synod: lib: 1. de off. Ord: cap: Statuimus.* Concilia indicendi ceſſare aliquatenus videtur: cùm nullus jam ferme caſus detur, qui non ſit in Jure, vel in Bullis Pontificiis, aut declarationibus Congregationum expreſſus, ac definitus, nihilq; (ut ajunt) ſcribetur, quod non ſcriptum ſit priùs.

V. Ea de cauſa, Concilia Generalia frequentiſſimè olim (primitùs bis in anno) celebrari ſolita, poſtmodum deſierunt. *Leo I. cap: 37.* decrevit, ne frequens, nec pro levibus Cauſis conveniendi neceſſitas indicatur. *Et Sixtus in Epiſtola, ad Epiſcopos per Illyricum ap: Holſten: pag: 99.* ſit Concilium, quoties Cauſæ fuerint, quoties Metropolitanus, pro neceſſitatum emergentium ratione decreverit, ut meritò Sedes Apoſtolica relatione ejus inſtructa, quæ fuerint acta, confirmet. Antiquitùs enim in Synodis cuncta diſcutiebantur, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinebant, etiam vita & converſatio Epiſcoporum tractabatur, de moribus in Clero reformandis, de tollendis abuſibus, de controverſiis componendis, de obſervatione ultimi Concilii generalis, de diſciplina Eccleſiaſtica ſenſim reſtituenda, an juſtitia expedite

ſingulis eam poſcentibus miniſtrabatur, *apud: Fag: ad cap: ſicut olim de accuſat. n: 13. fol: 134.*

VI. Et cùm Archiepiſcopo principaliter competat judicare in Concilio Provinciali, cum Conſilio aliorum Coëpiſcoporum exiſtentium. *Card: Alex: in cap: de eo 50. diſt:* audire querelas & delicta, quæ ſubditi contra ſuos Epiſcopos proponunt. *Card: Genuen: Zerola & alij*, nunc Concil: Trid aliter diſpoſuit. *Seſſ. 13. de ref. cap: 8: ibi: Cauſæ Epiſcoporum pro criminis objecti qualitate coram Pontifice maximo referri, ac per ipſum terminari debent.* & Seſſ. 24. de ref. cap: 5. ibi. *Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis (quod abſit) quæ depoſitione, aut privatione digna ſunt, ab ipſo tantùm Summo Pontifice cognoſcantur, & terminentur.* Ubi advertunt DD. nec proceſſum de illis formari poſſe, in Concilio Provinciali, cùm non ſolùm definitionem, ſed etiam cognitionem prædictarum Cauſarum Trid: Summo Pontifici reſervavit, in illis verbis, *cognoſcantur & terminentur.*

ARTICULUS VII.

I. JUriſdictio Archiepiſcopalis perantiqua, & ampliſſima, licèt nunc per Concil: Trid: (in quo numeroſi Epiſcopi, paucis Archiepiſcopis prævalebant) imminuta, & reſtricta cenſeatur. *Pias in prax: par: 2. cap: 5. art: 2. num: 44.* tamen de illa ſtrictim ex Canonibus, & Doctoribus nonnulla attingemus.

II. Archiepiſcopi in tota Provincia habent Juriſdictionem *juxta text: in cap: per ſingulas Cap: Cleros ibi: totius Provinciæ ſolicitudo commiſſa.* ordinariam in Epiſcopos omnes ejuſdem Provinciæ, dicunturq; ejuſdem Suffraganei, à Suffragando, quia ſuffragantur ſibi in officio *Abb: in cap. Suffraganeis Riccius reſolut: 22. num: 5.* & Metropolitana lege ſubjecti *c. Paſtoralis 22.* tenentur omnia, quæ totius Provin-

ciæ

ciæ bonum spectant ad Metropolitanum, tanquàm ad caput suum referre *Can: Apostolorum 35:* & innumeris Pontificum Epistolis, & Conciliorum antiquorum Decretis, quæ collegit Hallier D. Sorbonicus. *de Iurisd: Hierarchica, art: 2.*

III. Et quia neque plures Episcopi, neque Synodus facilè possunt congregari, consuetudine obtentum est, ut soli Archiepiscopi civiles causas Episcoporum Suffraganeorum definiant, criminales verò in concilio Provinciali. *Cæsar de Eccles. Hierarchia disp. 5. §. 2.* licet jam nunc aliter disponat de Criminalibus Concil: Trid: *Sess. 13. de refor. cap. 8.*

IV. Facit pro Jurisdictione Archiepiscopi Gnesnen: Const: Syn: Provin: ex Novis lib: 4. pag. 255. *Statuimus etiam decernentes, quodsi Episcopi Suffraganei Provinciæ hujus, à consecrationibus quarumcunq; rerum, benedictionibus, reconciliationibus, aut formatis, directè vel indirectè, aut quolibet quæsito doli, vel fraudis commento, aliquid exigerent, præter procurationem & taxam à Iure & Statuto Provinciali concessam, pœna arbitrali per Archiepiscopum puniantur.*

V. Archiepiscopis Jure Metropolitico competit Jurisdictio in subditos Suffraganeorum suorum, sed non ordinaria, quemadmodùm in ipsos Suffraganeos, sed in casibus expressis *d. c. Pastoralis*, de quibus non solum Archiepiscopus per se judicare potest, sed etiam subdito cuicunque Suffraganei sui, in ejus Diœcesi delegare. *cap: 1. de off. Ord: in 6.* & quàmvis illum invitum cogere non possit ad delegationem acceptandam *d. cap: 1. de foro com. lib: 6. d. c. Pastoralis* Archiepiscopus tamen Suffraganeo præcipere poterit, ut illum acceptare compellat, ut notat *Gl: in d. cap: Pastoralis, verbo nullam.*

VI. Speciale est de Archiepiscopo & Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, Const: Provinc: lib: 1. tit. de consuetudine pag: 14. tenoris talis: *Ecclesia Gnesnensis ex antiqua & rationabili consuetudine obtinuisse dignoscitur, quod Causas ad eam per appellationem devolutas, subditis Suffraganeorum suorum committere valeat, & compellere Iurisdictionem hujusmodi suscipere*

ſcipere detrectantes: ſic enim conſultiùs, ut præter locorum diſtantiam parcatur Partium laboribus & expenſis, quia ſi non reciperentur delegationes hujusmodi, cogerentur Partes, cum diſpendio apud Sedem Metropolitanam litigare. Hujus Sacri approbatione Concilii ſtatuimus antiquam conſuetudinem declarantes, ut Sedes Gneſnenſis Cauſas hujuſmodi ſubditis Suffraganeorum ſuorum valeat delegare, & animadvertere in rebelles.

VII. Etiam ipſimet Epiſcopo vel invito, Metropolitanus poteſt cauſam delegare, *Piaſec: 8.* eundemq; cogere, ad compellendum ſuos Subditos pro perhibendo teſtimonio in Cauſis, ad ipſum devolutis: nam licèt ad hoc non poſſit cogere Subditos ſui Suffraganei, ipſum tamen Suffraganeum cogere poteſt, ut ipſe cogat: quia nimirum majorem poteſtatem habet in ipſummet Suffraganeum, quàm in ipſius Subditos, idem *Piaſec. in Prax: Epiſc: par: 2. c. 5. art: 2. num: 47.* & allegat DD. Poteſt in Diœceſi Suffraganei habere Judicem, aut Tribunal erectum, pro appellationibus audiendis, propter commoditatem Litigantium, abſq; conſenſu ipſius per text: *in d. cap: 1. de off: Ordin. in 6:*

VIII. Poteſt inter Subditos Suffraganei Juriſdictionem exercere, quando cauſa ad illum devolvitur per ſimplicem querelam, præſertim in caſu expreſſo excommunicationis, per text. *in cap: ad reprimendam de offic. ordin: ibi: de injuſta ſibi fuerit excommunicatione conqueſtus.*

IX. Denegante Epiſcopo diſpenſationem, quando eſt debita diſpenſatio, datur recurſus ad Archiepiſcopum, quia negligente Epiſcopo facere, quod debet, eſt caſus in Jure expreſſus. *Piaſec: loc: cit: num. 41.*

X. Et ſi Epiſcopus fuerit negligens, in executione ultimæ voluntatis, ſuccedit Archiepiſcopus. *Idem ibid.* & poteſt inſtituere, ſi Suffraganeus denegat ſine Cauſa Inſtitutionem ibi.

XI. In Beneficiis Curatis denegante Ordinario, intra duos menſes Inſtitutionem Præſentato à Patrono, recurritur pro Inſtitu-

ſtitu-

stitutione ad Archiepiscopum. *Bulla Pii V. in conferendis.*

Eadem ratione devolvitur Collatio Beneficii ad Archiepiscopum, de quo non providerit Episcopus intra sex menses, à die notitiæ vocationis *c. nulla de Conceß. Pias. loc. cit.* in omnibus, quæ facere debet ex officio suo Episcopus, si facere negligit, devolvitur potestas ipsius ad Archiepiscopum. *c. Cùm simus 9. q. 3.*

XII. Unde occurrente negligentia deberet Archiepiscopus monere Episcopum suum Suffraganeum, & præfigere ei tempus, in quo faciat, quod debet, argumento *Concil. Trid: Seß. 24. cap: 20.* quæ monitio ne possit negari, deberet fieri per Instrumentum publicum, *Host: in c. 1. de Suppl. negl: Prælat: Pias. loc. cit* Et Const: Synodalis Poloniæ *lib: 1: pag 64. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, sive major pars ipsius, de absentia Episcopi, & de impedimentis & defectibus, tam Episcopi, quàm sui Vicarij tenebuntur quàm primùm commodè poterint, per literas suas, vel Nuncios, Metropolitanum Gnesnensem, qui pro tempore fuerit, consulere.*

XIII. Potest idem per viam nullitatis, etiam absque appellatione de Causis, inter subditos Suffraganei cognoscere, *Abb: in cap: in literis in fin: Barbos. num: 15. de off.* Delegati idque ex doctrina Bartoli in l. si expressim de appel. col: pen.

XIV. Potest Archiepiscopus compellere Suffraganeum ad ministrandam Justitiam subditis, & exaggerare pænas in negligentem, quô tandem inducatur ad Justitiam reddendam. *Quarant. verbo Archiepiscopi auctoritas vers. decim. quart. Abbas Genuensis. Barbos: Felin.* quos allegat *Ventrigl. c. 85.* ad faciendum id, ad quod tenetur, ad celebrandum quotannis Synodum, ad erectionem Seminarii ibid. Et ad solvendum eidem Seminario portionem, quam debet. *Concil: Trid. Seß. 23. cap: fin: de refor.*

Communem sententiam appellant DD. quod propter negligentiam Suffraganei, devoluatur Jurisdictio ad Metropolita-

litanum, qui per ſeipſum facere poteſt. *Ventrigl. cap: 86. num: 1.* & negligente Suffraganeo, ordinariam Juriſdictionem in ſubditos ejus exercet. *gl:| in d. cap: Paſtoralis. Glo: in ſumma 9. q. 3. c. conqueſtus verb. provocaverit.* proprium enim Metropolitani munus eſt, occurrere gravaminibus ſuorum Suffraganeorum *d. cap: per ſingulas q. 3: cap. Cleros ibi.* Solicitudo totius Provinciæ,& Suffraganeorum exceſſus ad Metropolitanum pertinent, ac proinde in illis, caſus hic expreſſus cenſetur. *Cæſar de Hierar. Eccleſiaſt.*

XV. Conſequens eſt, ut Archiepiſcopus poſſit Suffraganeum ſuum, & ipſius Vicarium Generalem ſuſpendere, interdicere, & excommunicare in caſibus, in quibus cenſetur habere Juriſdictionem in ipſos. Idemque poſſe facere Vicarium Generalem Archiepiſcopi, ſi abſit à Provincia Archiepiſcopus. Gradatim tamen procedendum eſſe in talibus, ut primò interdicatur ingreſſus Eccleſiæ, Ordinis executio, tum ſuccedat ſuſpenſio, & creſcente contumacia, demùm deveniatur ad excommunicationem. *Piaſ. loc: cit: n. 49. per allegat: ib: Iura & DD.*

XVI. Poteſt notoria crimina, ſubditorum Suffraganei liberè punire abſque appellatione: quia ſcilicet in illis puniendis Suffraganeorùm negligentia notatur, cùm ſint notoria, *per text: in cap. 1. §. Sane verſ. notoria de Cenſibus lib: 6.* idque poterit circa Officiales Epiſcopi, ſi impunè delinquant in officio. *Henriquez lib: 10. cap: 30.* §. *3.* & poteſt reum bannire ex tota Provincia *Piaſec.*

XVII. Notorium autem eſt, quod per evidentiam rei, nulla tergiverſatione celari poteſt, *in cap: ult: de cohab. Cler: & mul: cap: cùm dilectus cap: de manifeſto*, quod non indiget probatione *ex verb: text.* Notoria verò crimina, quæ examine non egeant &c. quæ talia Archiepiſcopus viſitans punit ea ratione, quia in his imputari poteſt Ordinarii negligentia ut §. *Sane.*

Notorium aliter definiunt, cujus teſtis populus *Ioan: in cap.*

Roma-

Romana num: 5. nec requiritur, quod notum sit omni populo, sed sufficit si majori parti populi notescat. *Idem: ibid.*

XVIII. Quando Vicarius Suffraganei delinquit contra Jurisdictionem Metropolitanam, ut si nolit deferre appellationi ad eum legitimè interpositæ, vel illius Inhibitionem spernat, tunc liberè potest Metropolitanus contra illum procedere. *c. 1. de off. Vicar: in 6. Lotter. cit: loco vers. Nam sunt campanil. rub. 1. cap: 23. num. 157.* & potest punire etiam Censuris, signanter excommunicatione. *Ventrigl: cap. 88. num. 1.* alibi carceribus Metropolitanis dummodò carceratio fiat circumspectè & sine ignominia, *secundùm Donat: Anton: de Mar.* qui testatur ita servatum in Curia Neapolitana.

XIX. Injustæ Excommunicationis causa si vertatur inter Subditum Suffraganei, & ipsummet Suffraganeum v. g. quia ipse ex officio, vel aliter, non ad partis favorem ipsum excommunicavit, de illa, sive per simplicem querelam, sive etiam per appellationem, Archiepiscopus cognoscere poterit. *text: in cap: Venerabilibus vers. attamen & §. pen: & ult. de Sententia Excommunicationis in 6.* & sic intelligendus *text. d. cap: Ad reprimendum.* ibi Conquestus *c. Per tuas ibi.* Verùm & ratio est; quia in Causis Suffraganeorum, qualis est hæc juxta *text. in cap. Sacro ibi: Excommunicator condemnetur.* De Sententia Excommunicationis, Metropolitanus Judex competens est, sive per appellationem, sive per simplicem querelam adeatur. *Cap: per singulas 9. q. 3.*

XX. Potest Archiepiscopus, si Excommunicatio injusta appareat statim Subditum absolvere, neque ad Suffraganeum remittere, posteaque de Causa cognoscere *per text. in d. c. Sacro §. Sane vers. Si verò constet.* quò casu nulla Suffraganeo fit injuria, quin imo data manifesta injustitiâ illius, jam ad Metropolitanum, attento Jure, Jurisdictio & potestas absolvendi spectat ibi. *vers. Notoria.* Si dubitetur an justè prolata sit sententia Excommunicationis, potest quidem Archiepiscopus, nulla data remissione Excommunicatum per se absolve-

ſolvere, & poſtea de Cauſa cognoſcere. *Cap: Per tuas verſ. quodſi* §. *ſane verſ. quodſi dubitetur*, ex debito tamen honeſtatis debet Excommunicatum pro abſolutione ad Suffraganeum remittere, quo Caſu nulla ſubdito fit injuria, dum non conſtat de juſtitia Excommunicationis. *Cap: Quibus Epiſcopi 11. q. 3.* & decet Prælato debitum honorem & reverentiam ſervari. *Cap: ſervetur.*

XXI. Quodſi Suffraganeus abſolutionem legitimè petenti ſaltem ad cautelam malitiosè diſtulerit, aut denegaverit, tunc Metropolitanus abſolvere debet. *juxta text. d. cap. Per tuas ext. de Sent. Excommunicationis, & d. cap. ad reprimendam de officio Iudicis Ordinarij*, & poteſtate ſibi à Jure tradita utetur. *Alex: III. c. qua fronte c. ſolicitudinem de appell.* Si Metropolitanus in ſupradictis caſibus abſolvat ſine remiſſione, licet eam facere tenebitur, valebit abſolutio, quamvis injuſta *d.* §, *ſane in fin.*

XXII. Archiepiſcopus Sede Epiſcopali vacante, ſi Capitulum in Spiritualibus & temporalibus negligenter & male adminiſtraverit, tunc illius negligentiam ſupplere poteſt *juxta ſupra Cit: Iure Cæſar de Hierar.* Et poteſt Viſitatorem ſuum deputare, ſed Capitulo priùs vocato cognitione præmiſsâ de negligentia, *c. fin: de ſuppl: negl. præl: in 6.* Itidem ſi Epiſcopus negligat ponere Oeconomos, ejus negligentia per Metropolitanum ſuppletur. *c. cùm ſimus 9. q. 3.*

XXIII. Epiſcopus manus inijciens in Clericum poterit abſolvi per Metropolitanum, qui eſt ejus Ordinarius. *Riccius de authoritate Archiepiſc. reſolut: 22. n. 5.* immediatè enim ſubjecti ſunt Metropolitano Epiſc: *ibid:* & Clericus, vel Laicus, ſi quid habet contra Epiſcopum ſuum, id jure defert ad Archiepiſcopum, & coram eo agit Cauſam ſuam. *Aſor par: 2 lib: 3. c. 34.*

XXIV. Archiepiſcopus abolet pravas conſuetudines, ſi invectas eſſe noverit in Subjectorum Epiſcoporum Diœceſes *Id. Ibid.* eſtq; Judex in Communi vitio Provinciæ. *Fagn. in c. ad extirpandas n. 3. fol. 324.*

XXIV.

XXIV. Archiepiſcopus abolet pravas conſuetudines, ſi invectas eſſe noverit in Subjectorum Epiſcoporum Dioeceſes. *Idem Ibid.* eſtq; Judex in communi vitio Provinciæ *Fagn. in cap: ad extirpandas num: 3. fol: 324.*

XXV. Quæſtuarios illegitimos per totam Provinciam compeſcendi, auctoritatem habet Metropolitanus, laicos quidem excommunicandi, Clericos ſuſpendendi. *cap: tuarum de Privil.*

ARTICULUS VIII.

I. COnvocare Concilium Provinciale ad Archiepiſcopum Metropolitanum ſpectat: Ipſe enim præeſt Concilio, & Epiſcopos Suffraganeos, ac alios, qui intereſſe habent, vocat. In Concilio Provinciali majoris partis Epiſcoporum ſententiam pronuntiat. *Canones & DD.* communiter.

II. Archiepiſcopus auctoritate Metropolitanâ approbat in ſcriptis juſtas & legitimas cauſas abſentiæ Suffraganeorum ſuorum, de cauſis abſentiæ cognoſcere, illoſq; ad reſidentiam revocare, & non reſidentes cum Concilio Provinciali punire. *Concil: Trid: Seſſ. 23. de Refor. cap: 1.* ac ipſemet procedere poteſt contra Epiſcopos deſerentes Eccleſias ſuas, excomunicando & ſuſpendendo, non tamen ab Epiſcopatu removendo. *Fag. ad c. Ex tuæ n. 16. fol: 66.* Depoſitio Epiſcoporum Jure Divino, eſt Romano Pontifici reſervata ut *in c. inter corporalia de Transl: Epiſc: Fagn. ib.*

III. Juſtæ abſentiæ cauſæ à Metropolitano comprobandæ, ponuntur ab eodem *Trid: cit: cap: 1.* nempe Chriſtiana charitas urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reip: utilitas, quæ ultima militat pro Cancellariis Poloniæ, quod munus & officium Epiſcopatui eſt adjunctum.

IV. Abſentiæ prædictæ ſpatium duos vel ad ſummum tres menſes non excedat, & abſentia non debet incidere in Adventu, Quadrageſima, Nativitate Domini, Reſurrectione, in Feſto Penteceſtes, & Corporis Chriſti. Non reſidentes

dentes per ſex menſes Epiſcopi, ſine juxta & rationabili cauſa, mulctantur gradatim. *Concil: Trid. Seſſ. 6. cap. 1.* Peccant mortaliter, & fructus non faciunt ſuos, & debent condemnari ad illos fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci erogandos. *Ioan. Ventrigl: cap: 83. & 84.* pænam interdicti ipſo facto incurrunt, *ex Bulla Urbani VIII. 1634.* privantur gratiâ alternativæ ſuper proviſione Beneficiorum juxta Regulam 9. Cancellariæ, aliiſq; gratiis & facultatibus.

V. Proprietates boni Paſtoris quatuor ſunt: 1. Quôd pro ovibus ſuis animam ponat. *Ioan. 10.* 2. Quòd veniente lupo non fugiat. 3. Quòd omnes oves ſuas nominatim cognoſcat. 4. Quòd oves vocem ejus audiant: quomodò hæc præſtabit abſens Epiſcopus? cui ut loquitur. *Concil: Trid. loco cit.* Ovium ſuarum, quarum ſanguis de ejus manibus à Supremo Judice, requirendus eſt, cuſtodia incumbit.

ARTICULUS IX.

I. PRæter ſupradicta Archiepiſcopis omnibus communia, Gneſnenſium præcipuum decus & dignitas in multis excellit. Illi à primæva fundatione, Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis titulum ſibi præſcribebant, & ab omnibus, præſertim à Regibus, ejuſdem tituli honore, appellabantur, prout legere eſt in vetuſtis Diplomatibus, reſcriptis Regum, Statutis Regni, duravit ejuſmodi tituli uſus & forma, ad uſque Regis Stephani Batorei tempora, quam, poſt Jacobum Uchanſcium recentiores Archipræſules, incertum, ſponte ne, an incuriâ, intermiſere. Retinet tamen in hunc diem Capitulum Metropolitanum Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis antiquam præſcriptionem.

II. Archidiæceſis Gneſnenſis, pro Diœceſi, per eminentiam ſemper & ubique nominatur Eccleſiarum Regni Prima & Magiſtra Gneſnenſis: Capitulum Metropolitanum Gneſnenſe, ejuſdemq; delegatus in Supremo Regni Tribunali Petrico-

vien:

vien: & Lublinen: Jus & prærogativam perpetuæ Præsidentiæ obtinet. Gnesna vetustissima Urbs à primo Gentis & Regni Conditore Lecho, auspicato condita. Regum olim Sedes, Regni caput, Basilica Metropolitana Gnesnen: magnitudine. & venustate structuræ, ante omnes, pro cujus Fabrica, mulctæ Episcoporum, & Abbatum, ad Synodos Provinciales venire negligentium applicantur. Decretis Const: Provinc: *pag: 332. & 335.*

III. Jus Primatiæ, Legationis Natæ, Primi Principatûs Archiepiscopo Gnesnensi soli concessum. Idem Pontificio oraculo Vir præclarus. *Bul: Leon X. in Const: Provinc: pag: 48.* Notabilis Prælatus *pag: 318.* Primas Regni Poloniæ *ibid.* Privilegiis Casimiri Magni Primus Princeps, Vladislai Jagellonis, Vicarius Regni Generalis, in nonnullis antiquis Privilegiis Regiis, Archiepiscopus, Dei gratiâ à Rege insignitur.

IV. Archiepiscopi aula Prælatorum, cohors Prætoria, *Lubienius fol: 260.* Juventutis, in omni genere virtutis Palæstra *idem fol: 403.* popularitatis hospitalitatisq; perpetua officina *Piasec: in Chron: fol: 600.* Magistra publicæ disciplinæ. *Idem in prax: pag. 149.*

V. Archiepiscopum caput, Episcopos membra, declarat Bulla Clementis X. ad Suffraganeos Metropolitani Gnesnensis, hisce verbis: *Vobis per Apostolica scripta mandamus, quatenus idem Andreæ Archiepiscopo, tanquàm membra capiti obsequentes, exhibeatis obedientiam & reverentiam debitam & devotam.*

VI. Et licèt Archiepiscopis in genere non liceat ante se deferri Crucem, quando est præsens Legatus Papæ, vel Cardinalis non Legatus, seu Nuntius cum facultate Legati de Latere, prout Sacra Congr: Rituum declaravit. *in Taurinen: 9. Martij 1593.* & ita *Quaranta, Barbosa, &c.* attamen Archiepiscopus Gnesnen: fuit, atque est in usu continuo, & pacifico præferendi Crucem in Polonia, in præsentia Nuntii Apostolici, cum facultatibus de Latere, imò etiam in præ-

ſentia Cardinalis, prout præferri faciebant præſente Cardinale Radzivilo, Cardinale Bernardo, Maciejovio, Cardinale Joanne Alberto Principe, Epiſcopis Cracovien: & meâ memoria Matthias Lubienius, Archiepiſcopus Gneſnen: cum Cruce, Joannem Caſimirum, tunc Cardinalem, qui poſtmodùm Rex viſitavit. Etiam in præſentia Regis, Crux antefertur Archiepiſcopo, uſque ad intimam Regis cameram, ac in Senatu, & Comitiis Generalibus: Nec prohibetur Gallico Interdicto *fors en noſtræ præſentiæ*, quod memorat *Petrus de Marca*, *Archiepiſcopus Pariſien. cap: 58. num. 6.* in quo obtinet conſuetudo, & præſcriptio an & Privilegium Nicolai V. Papæ infra in verbis: *Vigore ſuæ Legationis ſolus ubiq; ante ſe Crucem deferri facere poteſt.*

VII. Obſervo in Privilegio fundationis Abbatiæ Andreovien. apud *Damalevicium, in vitis Archiepiſcoporum Gneſn: pag: 97.* Joannem II. ſeu Janicum Fundatorem, pro Gneſnenſi, Archiepiſcopum Polonorum nominari in verbis. Ego Joannes Polonorum Archiepiſcopus. Quod Cantuarienſis Epiſcopi dignitati & reverentiæ olim tributum, ut Angliæ Archiepiſcopus, in Concilio ſub Urbano II. acclamaretur *apud Baronium ad annum 1098.* in verbis *Anſelmus Angliæ Archiepiſcopus.* Et ad annum *1097. num: 147.* Pater & Magiſter Anſelmus Anglorum Archiepiſcopus. Alexander Papa in Epiſt. ad Caſimirum Ducem Poloniæ (cujus originale in Eccleſia Cracovien. aſſervatum, ſæpè ſe vidiſſe, & attrectaſſe Joannes Longinus à Baronio citatus, ſcribit) Archiepiſcopum Poloniæ vocat.

VIII. Archiepiſcopus Gneſnen: eſt Ordinarius & Parochus Regis, & Reginæ, per totam ſuam Provinciam, exemplo Cantuarienſis, pro quo deciſum eſſe, etiam in Comitiis Regni Angliæ, contra Epiſcopum loci Sariſberienſem: Reges Reginaſq; eſſe ſpeciales domeſticos & Parochianos Archiepiſcopi Cantuarienſis; refert *Gervas: Monach. in Chron. Actor: Pontif. Cantuar: fol: 1691.*

De

De Juribus nominandi, & conſecrandi Reges, funera Regum celebrandi, Electos Epiſcopos antiquitùs confirmandi & conſecrandi, deque aliis tam Eccleſiaſticis, quàm policitis inſignibus, prærogativis, & præeminentiis, quæ ultra Metropolitanam, ex Legationis, & Primatûs ac Primi Principatûs dignitate reſultant, infrà dicemus, & manifeſta Jura deducemus.

De Legatione Nata.

CAPUT II.

ARTICULUS I.

ARchiepiſcopus Gneſnenſis, quàmvis pro ſola Metropolitanæ dignitatis eminentia, ſemper à Poloniæ Regibus, Principibus, Senatuq; & Equeſtri Ordine, primo loco haberetur, eum tamen prælationis apicem, Henricus Archiepiſcopus Gneſnenſis, Theodorici Ducis Bergenſis ex Eudoxia Polona filius, dictus Kietlicz, novo decore cumulavit, cum anno 1215. ſub tempus Concilii Lateranenſis, ab Innocentio III. *munus Legationis perpetuæ in Regno Poloniæ ſibi & Archiepiſcopis Gneſnenſibus impetravit.* verba Cromeri, Lib: 7. fol.

II. Lapſo deinde ducentorum annorum grandi ævi ſpatio, Nicolaus Trąbá, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Dignitatem Primatialem ſibi & Succeſſoribus Archiepiſcopis, à Concilio Conſtantienſi Anno 1416. ſingulari Privilegio petiit in perpetuum confirmari. Matthias à Miechovia, Canonicus Cracovienſis, in Chronic. Pol: c. 51. lib: 4. fol: 204. his verbis. *Eodem anno Nicolaus Archiepiſcopus Gneſnenſis, à Concilio Conſtantienſi Primatem ſe Polonæ Eccleſiæ declarari per ſpeciale privilegi-*

vilegium obtinuit, ab eoq; tempore ipſe & ſui ſucceſſores, Archiepiſcopum, & Primatem Eccleſiæ Gneſnenſis ſe inſcribunt.

III. Quo autem fine id fecerit, deducit *Cromerus lib: 8: fol: 425.* Quoniam Eliſabetha (quæ fuit Pilecia, Vladislai Jagellonis Conſors) ab Archiepiſcopo Leopolien. Joanne Rzeſzovio (renuente & tunc abſente Archiepiſcopo Gneſnenſi) coronata erat, veritus Nicolaus Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui tunc in Concilio Conſtantienſi, propter ſplendorem gratioſus erat, ita: ut Summus Pontificatus ad eum (ſi Długoſſo credemus) deferretur, ne ſibi, poſteriſq; ſuis Archiepiſcopis, ea prærogativa coronandi Reges & Reginas præriperetur, obtinuit apud Concilium, ut Archiepiſcopus Gneſnenſis deinceps Poloniæ Primas haberetur. Idem confirmat Stanislaus Carncovius, Epiſcopus Cujavienſis, *de Primatu Senatorio Regni Poloniæ, anno 1593. Poſnaniæ impreſſo pag. 14.* Verùm ſcire operæ pretium eſt, eſſe jam inde fermè ab initio Chriſtianæ Religionis Dignitatem Eccleſiaſticam Superiorem Archiepiſcopali & Metropolitana, inferiorem autem Patriarchiali, qua qui præditi ſunt, Primates à Latinis vocantur. Eam igitur tunc à Trąba impetratam eſſe, credibile eſt, quo eximiam haberet in Polonia, & Lithuania dignitatem, & in ipſum etiam Leopolienſem Archiepiſcopum, & Suffraganeos ejus Epiſcopos poteſtatem & Juriſdictionem.

IV. Cumulavit ſplendorem Archiepiſcoporum Joannes à Laſco, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Regis Sigiſmundi Primi, ad Leonem X. & Concilium Lateranenſe Orator, qui utramq; præeminentiam, Legationis Natæ, & Primatialis dignitatis, uno eodemq; Privilegio ſpeciali comprehenſam, à memorato Pontifice Max. in Concilio Secundo Lateranen. *anno 1515 V. Idus Iulii,* conſecutus eſt. Cujus Privilegii Originalis, & in Conſtitutionibus Provincialibus inſerti *lib: 1. Conſtit: tit: de Officio Ordinarii, pag: 82.* tenor eſt talis.

Leo Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pro excellenti præeminentia Sedis Apostolicæ, in qua post B. Petrum Apostolorum Principem, quamvis imparibus meritis, pari tamen authoritate constituti sumus, in agro irriguo militantis Ecclesiæ novas Legationes plantare & instituere Pontifice dignum arbitramur, per novas plantationes, præsertim in locis Christi fidelium, infidelibus vicinis, ac in parte Schismata sustinentibus non solùm populorum devotio, verùm etiam hæc ipsa nova nominis & fidei Domini Nostri JESU Christi plantatio, Schismatumq; eradicatio, ut augeatur, commodiùsq; succedat, & animarum salus subsequatur, ac Provinciæ, & Regna illustrentur. Idque Nos eò libentiùs agimus in locis prædictis, in quibus, tum ex variis inter mortales occasionibus, tamen imprimis interitus Schismatum ratione necessitatis plerumque subesse conspicitur, & ad hoc Catholicorum Regum vota tendere noscuntur, ut assistentia & authoritate Legati novi, & Alma Mater Ecclesia propagationis, plantationis novæ genus humanum, propositum felicitatis æternæ præmium feliciùs valeat adipisci. Attendentes igitur quod in toto Regno Poloniæ, una Metropolitana Gnesnensis videlicet principalis Ecclesia existit, cui omnes aliæ Ecclesiæ, dicti Regni Metropolitico Jure, ac etiam Leopolien, in terris Russiæ, ad Regnũ ipsum pertinentibus, Primatiali jure sunt subjectæ: Et quodsi Venerabilis Frater Noster Joannes de Lasko modernus, & pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnẽsis suæ Archiepiscopali Provinciæ & Ecclesiis, sibi Metropolitico ac prædicto Primatiali Jure subjectis, non solum Metropolitico ac Primatiali, sed etiam Legationis Jure præesset, & ratione dignitatis ejusdem Primatialis hujusmodi Legationis officium haberet: ex hoc profecto salubriori & diligentiori exercitio Metropoliticæ, Primatialisq; Jurisdictionis, & commoditati

Ecclesiarum, quæ sibi Metropolitico, ac Primatiali Jure subijciuntur, ac illis nunc, & pro tempore præsidentium Prælatorum, nec non cleri & populi, Civitatum, & Diœcesium earundem, quæ in eorum opportunitatibus, ad eundem Archiepiscopum & Legatum, ratione eorum, quæ vigore Legationis hujusmodi exercere poterit, faciliùs & commodiùs recurrere possent, & ejusdem Ecclesiæ Gnesnensis & Præfati Regni, cujus Reges, & incolæ, Apostolicæ Sedi devoti, & fideles semper esse consueverunt, devotioni, ac venustati plurimùm consuleretur: Considerantesq; in Regno Angliæ olim & in Germania, Archiepiscopos aliquot Legatos Natos, per Prædecessores nostros erectos fuisse. Eorundem Prædecessorum vestigiis inhærentes, & ad magnam instantiam quàm super hoc fecit charissimus in Christo Filius noster SIGISMUNDUS dicti Regni Poloniæ Rex Illustris debitum habendo respectum, ad Dei laudem & honorem, ac fidei Catholicæ exaltationem, prædictum Joannem de Lasko, modernum ad Nos, & Sacrum Lateranense Concilium, pro dicto Rege Oratorem destinatum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Gnesnensem, Legatum Natum, cum omnibus honoribus, & oneribus consuetis, ità quod de cætero suæ Archiepiscopali, & prædictæ Leopolien. Provinciis, & Ecclesiis sibi Metropolitico & Primatiali Jure subjectis, non solùm Metropolitico, & Primatiali, sed etiam Legationis Jure præsit. Et ratione dignitatis suæ Primatialis, & Legationis, officium in ipsis Provinciis habeat, authoritate Apostolica, & ex certa scientia nostra facimus, & constituimus, & etiam ordinamus; sibi nihilominus concedentes, ut omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, præeminentiis, exemptionibus, honoribus, & gratiis uti & gaudere: ac quod omnia & singula facere & exercere, ac mandare, ordinare, & exequi, quæ ad Legatos Natos & hujusmodi Legationis officium habentes, quomodolibet pertinent, & qua alii Legati Nati, præsertim verò Legatus Cantuariensis, qui in Provinciis, de Jure, privilegio, & consuetudine

man-

mandare, facere, & exequi possint, liberè & licitè valeat. Mandantes per præsentes universis & singulis Suffraganeis, Leopoliensiq; terrarum Russiæ Archiepiscopo, & aliis in dictis Provinciis existentibus, quatenus eidem Archiepiscopo & Legato Nato, pro tempore existenti, in his quæ sibi ratione officii Legationis, sicut præfertur, competunt, pareant, & intendant. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac literis, & Privilegiis quibusvis concessis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus pro expressis habentes, quibus quo ad præmissa specialiter & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ Creationis, constitutionis, ordinationis, concessionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. *Datum Romæ apud S. Petrum, Anno 1515. V. Idus Iulii, Pontificatûs Nostri, Anno tertio.*

V. Quæ Archiepiscoporum prærogativa Legationis Natæ, probata, recepta, declarata, & publicata est, ejusmodi placito Synodi Provincialis. *pag. 81.*

Archiepiscopus fungatur Officio Legationis.

Placuit etiam Synodo, ut Reverendissimus D. Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, ac Primas, utatur Officio Legationis in Provincia, secundum Bullam ad hoc Celsitudini suæ concessam, & in præfata Synodo publicatam. Causas tamen extra Diœceses partium rearum non committat, nisi quando Actor probaret perhorrescentiam, aut sibi imminere mortis periculum, tunc in proximiori Diœcesi partis reæ committere possit. Liberum

berum tamen erit Dominationi ſuæ trahere ad ſe partes reas, de quacunq; Diœceſi Provinciæ ſuæ, quando voluerit aliquam Cauſam audire per ſe. Et quia hæc Legatio data eſt ad inſtar Legationis Reverendiſſimi D. Epiſcopi Cantuarienſis in Anglia, cujus facultas adhuc ignoratur: placuit Synodo, ut hac ſuâ, ſecundùm illam utatur, poſtquam de illius facultatibus certior efficietur. Placuit etiam ut hæc Legatio in facultatibus amplioribus, ultra Ius commune augeatur per Summum Pontificem, quatenus id impetrari poſſit, ſaltem ut percuſſores Clericorum qualicunque percuſſione, etiam poſt declarationem authoritate ipſius Legationis abſolvi poſſint, Epiſcopis exceptis.

VI. Pro exercitio Legationis Natæ, facit *Conſtitutio Synodi Provincialis ex novis, lib: 3. tit: de Cauſis appellationum & Apoſtolicis pag: 217.* In cauſis Legationis Natæ, ſerventur omnes taxæ prædictæ, quas in cauſis Apoſtolicis & Appellationum, ſervari decrevimus: hoc excepto, ut pro Commiſſionibus & Citationibus, cum inſertione querelæ in forma conqueſtus, vel ſua Nobis: ditiores ſolvant mediam marcam, & pauperes quindecim groſſos. *Et pag: 91.* Promiſit etiam Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus Gneſnen: Juriſdictione Legationis Natæ, in Commiſſionibus & Citationibus decernendis uti, prout communia Jura diſponunt.

VII. Idem Joannes de Laſco, Archiepiſcopus, Privilegia Legationis natæ, Sedi Metropolitanæ Strigonienſi, pariterq; ſuæ Gneſnenſi competentia, Bullæ Speciali Leonis X. ſimul inſerta (Româ per Hungariam & Strigoniam redux) coram Thoma Cardinale Legato de Latere, Archiepiſcopo Strigonienſi in originali produxit, Decretumq; interponi ſuo, & Gneſnen. Eccleſiæ nomine poſtulavit, quod obtinuit. Extat Inſtrumentum authenticum pergameneum, *in Archivo Gneſnen,* tenoris talis: *Nos Thomas miſeratione Divina, tituli S. Martini in Montibus Sacroſanctæ R. E. Presbyter Cardinalis Strigonienſis, ac Patriarcha Conſtantinopolitanus, ad Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daciæ, Sueciæ ac Norvergiæ Regna, necnon Pruſ-*

ſiam

siam, Russiam, Livoniam, Lithuaniam, Valachiam, Silesiam, Lusatiam, Moraviam, Transylvaniam, Sclavoniam, Croatiam, Dalmatiam & Moscoviam, omnesq; & singulas Regnorum & Provinciarum prædictarum Civitates, Insulas, Terras, atq; loca illis subjecta, & alia eis adjacentia Apostolicæ Sedis Legatus de Latere, memoriæ commendamus, tenore præsentium. significantes, quibus expedit universis. Quod Reverendissimus in Christo Pater & Dominus D. Joannes Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Gnesnensis, Natus Legatus, & Primas Regni Poloniæ, infrascriptas Literas Apostolicas, Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Leonis, Divinâ Providentia Papæ X. ejus vera Bulla plumbea, cum cordulis sericeis, rubri croceiq; coloris, more Romanæ Curiæ impenden. Bullatas, sanas, & integras ac omni prorsus vitio & suspicione carentes exhibuit, & produxit, quas transumi & exemplari, ac in publicam, & authenticam formam redigi mandari, Nostramq; authoritatem & Decretum interponi, per Nos instanter suo, & Gnesnensis Ecclesiæ, ac nomine Legationis suæ perpetuæ postulavit. Quarum quidem Literarum Apostolicarum tenor, de verbo, ad verbum sequitur & est talis.

Leo Episcopus Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem, in Apostolicæ Dignitatis culmine, Divina dispositione constitutum, ad ea suæ considerationis aciem libenter convertere, per quæ suæ provisionis ministerio, Jura, decus & utilitas Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Metropolitanarum insignium, & quibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in partem sollicitudinis assumpti præsunt, conserventur, auctoreq; Altissimo, felicibus semper proficiant incrementis, & ea, quæ à Prædecessoribus suis propterea concessa, statuta, & ordinata fuerunt, eorum inhærendo vestigiis, libenter cùm ab eo petitur, approbare, confirmare & innovare, ac innovata Apostolica Authoritate communire, ut eò firmiùs perdurent,

rent, quò ſæpiùs fuerint Apoſtolicâ authoritate circumfulta, aliaq; deſuper concedere, ſtatuere, & ordinare, prout in Domino conſpicit ſalubritér expedire. Dudum ſiquidem à felicis recordationis. *Bonifacio Papa IX. Nicolao Papa V. & Pio Papa II.* Prædeceſſoribus Noſtris emanarunt literæ, tenoris ſubſequentis.

Bonifacius Epiſc: Servus Servorū Dei.

Ad perpetuam rei memoriam. Ad ea quæ Eccleſiarum & Monaſteriorum &c. Sed hac alteraque ſtatim ejuſdem Papæ, ibidem quæ incipit. *Etſi quibuslibet perſonis Eccleſiaſticis &c.* eo loci omiſſis, quod utriuſque Bullæ Inſtrumentum detritis madefactionis injuria Literis corruptum, multis locis illegibile ſit, quod autem legitur, pro Juriſdictione Archiepiſcopi Strigonienſis in Monaſteria, & Monachos, & Eccleſias, exercenda militat: Bullæ binæ ſubſequentes Nicolai Papæ ſalvæ, integræ, ac plenè legibiles inſeruntur tenoris talis.

Nicolaus Epiſc: Servus Servorū Dei.

Ad futuram rei memoriam. Sacroſanctæ R. E. quam inperſcrutabilis altitudo Conſilii, Eccleſiis prætulit univerſis ac totius Orbis præcipuum obtinere voluit Magiſtratum Regimini licèt immeriti præſidentes curis perurgemur aſſiduis, & continua meditatione pulſamur, ut juxta creditæ Nobis diſpenſationis officium, Eccleſiarum omnium, Metropolis præſertim honore fungentium, decus & venuſtas acccreſcant, eædemq; Eccleſiæ, noſtri ſuffragatione miniſterii votivis jugiter proficiant incrementis, ac prærogativæ, ac honoris debiti continuis gratulentur eventibus. Nuper ſiquidem Chariſſimus Filius Noſter LADISLAUS Hungariæ Rex Illuſtris Nobis expoſuit, quod olim poſtquàm Eccleſia Strigonienſis per B. STEPHANUM Hungariæ Primum Regem fundata, & veluti omnium aliarum ipſius Regni Eccleſiarum prima & Magiſtra, in Metropolim auctoritate Apoſtolica erecta & decorata,

rata, ac tam ipsius Beati Regis, quàm aliorum, post ipsum in eodem Regno Successorum instantiam, per diversos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, præ aliis ejusdem Regni Ecclesiis Primatiæ, illiusq; Præsul pro tempore existens Legationis Natæ officio, & honore insigniti extiterint, Antistites ejusdem Ecclesiæ pro tempore existentes officio, honore, & Jurisdictione, & Legatione prædicta à tempore cujus initium memoria hominum non existit, in utroq; foro, etiam indistinctè, continuò usi fuerint, prout etiam modernus Archiepiscopus, in illorum pacifica possessione, vel quasi existens utitur de præsenti; quare præfatus Rex nobis humiliter supplicavit, Jurisdictionem Primatiæ, & Legationis hujusmodi cum honoribus, oneribus, & prærogativis debitis, & consuetis eidem Ecclesiæ quomodolibet competentibus, & quibus Archiepiscopi prædicti de Jure, vel consuetudine hactenus usi sunt, & modernus ad præsens utitur, ut præfertur approbare & confirmare. Quodq; dilectus filius noster Dionysius tituli S. Cyriaci in Thermis, Presbyter Cardinalis, & ex ipsa dispensatione Sedis Apostolicæ ipsius Ecclesiæ Archiepiscopus, suiq; Successores, pro tempore existentes, in singulis præfati Regni, necnon partium eidem subjectarum, & in posterum forsitan subijciendarum, tam Cathedralibus, & Metropolitanis, quàm aliis etiam exemptis Ecclesiis omnimoda potestate, Jurisdictione, & Legatione hujusmodi, tam in foro conscientiæ, quàm contentioso uti & gaudere, Jurisdictionem quoque & Legationem prædictas exercere liberè & licitè possint, & valeant de novo concedere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eorundem Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, hujusmodi Supplicationibus inclinati, Jurisdictionem Primatiæ & Legationis prædictarum, authoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Et nihilominus pro potiori cautela, præfato Dionysio, suisq; Successoribus, ejusdem Strigoniensis Ecclesiæ

Archiepiſcopis, qui erunt pro tempore tunc in ſingulis ejuſdem Regni, & partium ejuſmodi, de jure, vel conſuetudine eidem ſubjectarum, & ſubijciendarum, Metropolitanis & Cathedralibus, ac aliis licèt exemptis Eccleſiis, circa earundem perſonas, ac eiſdem quomodolibet ſubjectas, & ſubijciendas, tam Eccleſiaſticas etiam exemptas, quàm mundanas omnimoda poteſtate Primatiæ & Legationis earundem, tam in foro conſcientiæ, quàm contentioſo, cum honoribus, oneribus, & prærogativis debitis, & conſuetis, perpetuis futuris temporibus uti, & gaudere, Juriſdictionemq; & Legationem prædictas liberè & licitè exercere poſſint & valeant authoritate Apoſtolica præfata, harum ſerie concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ approbationis, confirmationis, communicationis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, Quadringenteſimo, Quinquageſimo, Primo. Nono Calendas Aprilis. Pontificatûs Noſtri; Anno Sexto.

Nicolaus Epiſc: Servus Servorũ Dei.

Ad futuram rei memoriam. Excellens Apoſtolicæ Sedis providentia Eccleſiarum dignitatem, & merita conſiderans perſonarum, illas non indignè uberioris dono gratiæ, & honoris prærogativâ attollit, quas dignitatis præeminentia, & vetuſta conſuetudo cæteris efficit anteponi. Sanè Chariſſimus filius noſter Ladislaus Hungariæ Rex Illuſtris, Nobis nuper expoſuit, quòd licèt Archiepiſcopus Strigonien: pro tempore exiſtens, Primatiæ & Legationis Natæ officio, & honore fungatur; Noſq; Juriſdictionem Primatiæ, & Legationis prædictarum authoritate Apoſtolica approbandam & confirman-

dam

dam dilecto filio nostro Dionysio Tituli S. Cyriaci in Thermis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, qui ex dispensatione Sedis Apostolicæ, etiam ipsius Ecclesiæ Strigonien: Archiepiscopus existit, suisq; Successoribus, qui in singulis Regni Hungariæ, & partium illi de Jure, vel consuetudine subjectarum, & subijciendarum Cathedralibus vel Metropolitanis, ac aliis licet exemptis Ecclesiis circa earumque personas, ac eisdem quomodolibet subjectas & subijciendas, tam Ecclesiasticas etiam exemptas, quàm mundanas omnimoda potestate Primatiæ & Legationis earundem, tam in foro conscientiæ, quàm contentioso, cum honoribus, oneribus, & prærogativis debitis, & consuetis, perpetuis futuris temporibus uti & gaudere, Jurisdictionemq; & Legationem prædictas, liberè & licitè exercere valerent, eadem authoritate concesserimus, prout in nostris super inde confectis literis pleniùs continetur. Quia tamen à nonnullis curiosis revocatur in dubium, an præfatus Archiepiscopus Primas & Legatus Natus, extra suas Civitatem, & Diœcesim Crucem ante se deferri facere, & de Causis quæ ad ipsum, & Sedem Strigoniensem, præsertim per simplicem querelam deferuntur cognoscere, illasq; coram eo, & apud dictam Sedem verti facere possit. Nos ad hujusmodi ambiguitatis dubium submovendum, modernum, ac pro tempore existentem Archiepiscopum Strigoniensem, sicut post Regem præfatum primus existit, ita etiam in omnibus parlamentis, & aliis actibus egregiis, post ipsum Regem, primum locum, & primam vocem obtinere debere, quodque infra limites suæ Legationis, cæteris Præsulibus, si quos adesse contingat, ea in re cessantibus, solus ubique ante se Crucem deferri facere, ac de Causis, quæ intra limites Legationis hujusmodi, etiam per simplicem querelam coram eo, & ad dictam sedem moveri, & verti contigerit, cognoscere, & cognosci facere, causasq; hujusmodi committere, & alia omnia & singula, quæ authoritatem, officium, & honorem Primatiæ & Legationis, de Jure & consuetudine,

aut

aut aliàs quomodolibet concernunt facere & exequi, ac ab universis, & singulis personis, tam Ecclesiasticis, etiam Religiosis licèt exemptis, quàm mundanis, infra dictos limites, pro tempore existentes, quod decreverit, per Censuram Ecclesiasticam Authoritate Apostolica, in hac parte sibi specialiter attributa, firmiter observari facere posse liberè & licitè tenore præsentium declaramus. Non obstantibus quibuscunq; Privilegiis, exemptionibus, indultis, quibusvis personis, cujuscunque Status, gradus, & conditionis fuerint, seu eorum loco per Nos, aut Sedem Apostolicam concessis, quibus quo ad hoc specialiter derogari volumus, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ declarationis, voluntatis, & derogationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, *Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quadringētesimo, Quinquagesimo, Secundo. X. Calēdas Maij. Pōtificatus Nostri, anno Sexto.*

Nos itaque Thomas Cardinalis, & Legatus antedictus hujusmodi literas Apostolicas, ad manus Nostras recepimus, illasq; vidimus, tenuimus legimus, & diligenter inspeximus. Et quia ipsas literas Apostolicas sanas, integras, ac omni prorsus vitio, & suspicione carentes invenimus, idcircò ad præfati Reverendissimi Domini Joannis Archiepiscopi Gnesnensis &c. instantiam, & requisitionem illas per Nobilem Magistrum Benedictum de Alsozeghi, Apostolica authoritate Notarium publicum infrascriptum, transumi, & exemplificari, ac in publicam transumpti formam redigi mandavimus & injunximus, authoritate Nostra decernentes præsenti nostro transumpto publico de cætero, ut in omni instantia & Judiciis, & extra ubique locorum firmiter stetur, illiq; detur & adhibeatur plenaria, & indubitata fides, non secùs, ac ipsis Originalibus Literis Apostolicis præinsertis, & cum præsenti transf-

tranſumpto confectis, plena & integra fides adhibita datur & adhibetur, dareturque ſeu adhiberetur, ſi ipſæmet Originales Apoſtolicæ literæ oſtenſæ forent. Ac ideo omnibus & ſingulis prædictis tanquàm ritè & legitimè emanatis, robur firmitatis perpetuæ interponen: & interpoſuimus prout interponimus præſentium per tenorem. Ac in fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas noſtras, ſive præſens publicum tranſumptum, per Notarium infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, Sigilloq; Noſtro fecimus communiri. Datum, & actum in Arce Noſtra Strigonienſi, Anno Domini, Milleſimo, Quingenteſimo, Quintodecimo, indictione nona, die vigeſima ſeptima, Menſis Octobris, Pontificatûs autem præfati Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Leonis Papæ, Anno ejus Secundo.

Et ibidem. Pius Epiſc: Servꝰ Servorū Dei.

Bulla hæc prolixior, ob deraſam & madore depravatam multis locis ſcripturam hìc non inſeritur, verborum tamen ejus quantum legere eſt contextus, Primatiæ & Legationis Natæ, prærogativas ampliſſimè confirmat, prærogativas & Privilegia Dionyſio Cardinali; eidemq; Archiepiſcopo Strigonienſi, ac pro tempore exiſtentibus Archiepiſcopis Strigonienſibus conceſſa, & quaſcunque laudabiles conſuetudines, & authoritates, ac Juriſdictiones, literas, & indulta, ac nominatim Juriſdictionem in Prælatos & Monaſteria authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia ratificat, confirmat, & approbat, ac præſentis Scripti patrocinio communit, ac perpetuam roboris firmitatem obtinere decernit, & illa de novo, ex ſimili ſcientia concedit, decernendo ex nunc omnes & ſingulos proceſſus, contra conſuetudines, Privilegia, conceſſiones, indulta, & literas hujuſmodi habitas & promulgatas aut habendas, & promulgandas, ac literas Apoſtolicas, per Nos forſan vel Prædeceſſores noſtros, ſub quacunque verborum forma in contrarium conceſſas, etiamſi de illis eorumq; totis teneri-

noribus, de verbo ad verbum habenda eſſet præſentibus mentio ſpecialis irritas, & inanes, nulliuſq; roboris vel momenti: Extant Bonifacii, Nicolai, Pii, ſingulæ Bullæ, in Synodalibus Conſtitutionibus Hungariæ impreſſæ. *pag: 139*: & ſequentibus. Et ibid: tit. *Privilegia Archiepiſcopatûs append: 3. pag: 147.* allegatur Bulla originalis Nicolai V. his verbis: Quod Archiepiſcopus Strigonien: tanquàm Legatus Natus, in toto Regno Hungariæ, & partibus illi annexis viſitare & reformare poſſit in Spiritualibus & temporalibus Monaſteria & loca Eccleſiaſtica etiam exempta, in Capitibus & membris.

Ibidem pag: 148: In Sacro Romano Imperio Electores Eccleſiaſtici quacunque Domo oriundi ſint, Sereniſſimos Electores Sæculares, tot Potentiſſimorum Imperatorum Sanguine progenitos, abſq; ulla dignitatis imminutione præcedere ſolent. Et in vicina Polonia Archiepiſcopus Gneſnenſis Principes, ac Palatinos ſine competentia antecedit. Et quod mirêre, inter Sacramentarios Angliæ (quos noſtri Calviniſtas vocant) Cantuarienſis Archiepiſcopus, Duces ac Principes omnes, in Senatu Regio ac Parlamentis, conſeſſu, & Suffragio antecedit. Audi Saraviam Calviniſtam Anglum, ſuis verbis loquentem. *Libro de diverſis Miniſtrorum gradibus cap: 24.* Archiepiſcopo Cantuarienſi, *Proedria*, ante omnes Principes, & magnos Regis Officiarios eſt attributa, & Primus par Regni dicitur.

VIII. Præter Legationis Natæ ſuperiùs deſcriptas Bullas, idem Joannes de Łaſco, Archiepiſcopus Gneſnenſis, impetravit à Leone X. in Concilio Lateranenſi, inſignia quædam Privilegia pro Regno Poloniæ, Conſtitutionibus Synodalibus inſerta, utpote: de non recipiendis, ad Eccleſias Cathedrales plebeiis, ultra quatuor Doctores, in Jure, vel Theologia *pag: 150.* De Electore Archidiaconorum. *pag: 48.* De decimis ex agris novalibus. *pag: 194.* de duabus Miſſis pro exigentia tenuiorum Eccleſiarum celebrandis, aliiſq; eximiis Indultis. *pagina 117.*

IX.

IX. Quæ Bullæ omnes, unà cum Statutis antiquis & recentioribus, in Conciliis Provincialibus Poloniæ admiſſæ, & approbatæ, ac Decreto Synodali, per Matthiam Drzevicium, Archiepiſcopum, in anno 1527. promulgatæ fuerunt. *Conſt: lib: 4. pag: 296.* cap: quod incipit. *Decrevit hæc Sacra Synodus &c:* in verbis: *Suſcepit hæc Synodus Statuta omnia Provincialia, cum Bullis Apoſtolicis inſertis, in diverſisq; Synodis, & per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem D. Ioannem de Laſco Archiepiſcopum Gneſnenſem, Primatem, Legatumq; Natum, tempore præſidentiæ ſuæ felicis confecta, approbata, Synodaliq; authoritate, & decreto, cum ſtatutis hujus Provinciæ vetuſtioribus conformata, digeſta, in unumq; volumen redacta, ac noviter impreſſa, & per memoratum D. Archiepiſcopum in præſenti Synodo publicata. Quæ eadem Synodus pro approbatis & publicatis habere voluit decernens eiſdem robur perpetuæ firmitatis.*

X. Obſervandum eſt in vigore & obſervantia fuiſſe *Martini V.* Papæ Bullam, quæ declaravit, & innovavit pro illo tempore facultatem Nicolao Archiepiſcopo Gneſnenſi, ſtatuta Provinciæ corrigendi, moderandi, declarandi, reformandi, immutandi, & ſupplendi, necnon etiam nova, ſi expediret, edendi, ſtatuendi, & ordinandi, cum conſilio, & aſſenſu Suffraganeorum & Prælatorum, quæ exequi tam idem Archiepiſcopus, quàm ſinguli Epiſcopi, Suffraganei, eorumque Succeſſores liberè exequi poſſint, & debeant. *pag: 399.*

XI. Eadem Statuta cum Bullis, per ſpeciales Delegatos Synodi Gembicianæ primæ, ejuſq; mandato & authoritate recognita, & in ordinem, *anno 1621.* redacta Archiepiſcopus Gneſnenſis, Joannes Wężyk, cum Epiſcopis, in altera Synodo Provinciali *anno 1628.* approbavit, & edenda decrevit, *tit: de Stat: Provincialibus* & *tit. de Conſtitutionibus antiquis* iterum recudendis.

XII. Addidit ultimũ robur & pondus Legationi Natæ Gneſnenſi, Apoſtolica Romanorum Pontificum authoritas, qui

Statuta Provincialia cum Bullis inſertis approbantes, Privilegio & exercitio ſæpedictæ Legationis Natæ nullatenus derogarunt. Quod Privilegium etiam Curia Romana in praxi obſervat, uti noviſſimè in una Decimarum Chełmēſi, *4. Martij, anno 1665.* §. *1.* coram Reverendiſſimo Jaja. Et in una Cracovienſi Decimarum *20. Martij 1651.* coram Veroſpio *Decis. 125. num: 11.*

XIII. Proinde Conſtitutiones omnes Synodales Regni Poloniæ antiquæ, novæ, noviſſimæ, ſine aliqua conditione, aut exceptione à Summis Pontificibus, tam ante, quàm poſt Concil: Trid: confirmatæ, & conſequenter Synodus Łaſciana de functione Legationis Natæ pro indubitatis habentur. *Ita Piaſec: Epiſcopus Præmislienſis in Praxi Epiſc. par. 2: cap: 3. art: 6. num. 70.* in verbis. *Ut videre licet in Conſtitutionibus Provincialis Synodi Poloniæ, quæ ſunt approbatæ à Sede Apoſtolica, & firmantur uſu antiquo & præſcriptione temporis immemorabilis.* Item Stanislaus Carncovius, Epiſcopus Vladiſlavienſis, Epiſtola dedicatoria, ad Stephanum Regem in Principio Conſt: Provin. *Deſumpſi mihi pietatis ergò laborem, ut Conſtitutiones Synodorum à Superioris temporis Archiepiſcopis Gneſnenſibus accommodatè conditas & conſcriptas, & propter injuriam temporum, aut Epiſcoporum fortaſſe negligentiam vix jam uſquam extantes undiq; conquirerem, ſimulq; cum recentioribus edi curarem ad præſcriptum SS. generalis Tridentini Concilii, & judicio S. Sedis Apoſtolicæ modificatas & caſtigatas.*

Eo loci de origine & Officio Legatorum Apoſtolicorum altiùs inveſtigare neceſſarium exiſtimo.

ARTICULUS II.

LEgati Apoſtolici dicuntur, qui à Papa tanquam ejus Vicarii, ad Eccleſias & Provincias, per totum Orbem diſperſas mittuntur, ut ibi ædificent & plantent, prout ſpirituali Saluti viderint expedire. Horum officium ve-

tuſtiſſimo Eccleſiæ uſu comprobatum reperitur *in Concil: Sardic: Can: 7. de quo in cap. Si quis Epiſcopus 2. q. 6.* & apud Gregorium *1. cap: Decreto eadem Cauſa & quæſt: Simanc: & Alex. in cap: 1. & 2. 94. diſt.* Cûm enim Summi Pontificis proprium munus ſit, ſingulis Eccleſiis Paſtorali officio incumbere, *juxta text: in cap. Cum inſtantia*, ipſeq; omnibus perſonaliter intereſſe non poterat, meritò fuit introductum, ut Selectiſſimos Viros ad eaſdem Eccleſias Legatos mitteret, *text: in d. c. 1. 94. diſt: 161. ibi.* Et ubi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum cui præcipimus repræſentetur auctoritas.

II. Ita Gregorius Papa VII. in Epiſtola ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Galliæ, Hiſpaniæq;, Romana *inquit* Eccleſia hanc conſuetudinem habuit, ab ipſis ſuæ fundationis primordiis, ut ad omnes partes, quæ Chriſtianæ Religionis titulo prænotantur, ſuos Legatos mitteret, quatenus ea, quæ Gubernator & Rector ejuſdem Romanæ Eccleſiæ, per ſuam præſentiam expedire non prævalet vice ſua Legatis conceſſa, monita ſalutis, ac morum honeſtatem per eos, cunctis per orbem terrarum conſtitutis Eccleſiis nuntiaret, eaſq; Apoſtolicâ doctrinâ in omnibus, quæ Sacræ Religioni conveniunt diligenter inſtrueret. Proinde horum præſentium portitorem Venerabilem Confratrem Noſtrum Amatum Epiſcopum Oloronenſem apud Benearnos, ad partes veſtras dirigimus, ut quæ ibi vitia eradicanda ſunt, à fundamento evulſis, plantaria virtutum Deo auctore, ſolerti vigilantia plantare procuret. Quem ſicut noſtram imò Beati Petri, præſentiam, vos, ſuſcipere Apoſtolica authoritate jubemus: ac ſic pro reverentia Sedis Apoſtolicæ, cujus Nuntius eſt, vos in omnibus ſibi obedire, atque eum audire mandamus, ut propriam faciem noſtram, ſeu noſtræ vivæ vocis oracula: ſcriptum eſt enim: qui vos audit, me audit.

Simile in Epiſtola Paſchalis ſecundi ad Henricum Regem Anglorum. *Unde uſq; ad nos* inquit, *licèt indignos eorum Vi-*

carios, hæc consuetudo pervenit, ut per nostræ Sedis Vicarios graviora Ecclesiarum per Provincias negotia pertractarentur, seu retractarentur. Innumera sunt exempla hujusmodi, sed præ aliis, Innocentius III. magnificè in epistola ad Imperatorem Constantinopolitanum *104. lib. 16.* his verbis *Dominum IESUM CHRISTUM Sedem Apostolicam instituisse, totius Christianitatis caput, & Magistram, à qua panis intellectûs & vitæ, ad alias procedat Ecclesias, Pontificem Romanum portare onera gravia, cum plenitudine potestatis. Verùm quia ipse cuncta per se facere non potest, multos sibi operarios & coadjutores adjungere, ac per eos exequi, quod per se personaliter non potest adimplere, sic vices suas aliis committendo, ut intelligatur ipsemet facere, quod per alios fieri decernit. Cùm autem necessitas Ecclesiæ postulet illuc mitti Legatum à latere, destinasse in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem, cui nos vices nostras commisimus* inquit, *ut juxta verbum propheticum, evellat & destruat, ædificet & plantet, quæ secundùm Deum evellenda & destruenda nec non ædificanda cognoverit & plantanda.*

III. Legati Apostolici in triplici differentia considerantur. Alii dicuntur Legati de latere, quali Legationis officio soli hodie Cardinales funguntur, cùm illos Pontifex, tanquàm ei assistentes, circa ardua Ecclesiæ negotia, quasi de latere suo mittat: possuntque pars corporis ipsius appellari, *text: in cap: Felicis de pænis lib: 6.* Alii appellantur Legati Nati quorum dignitati, officium Legationis est perpetuò annexum, qui non mittuntur à Papa, sed fiunt ubi primum talem dignitatem consequuntur. Prout sunt Archiepiscopus Cantuariensis, Strigoniensis, Gnesnen: & recensetur inter Legatos Natos Rex Siciliæ.

Tertii vocantur Legati missi, qui ad Legationis officium, in aliquam Provinciam mittuntur, prout hodie sunt Nuntii Germaniæ, Hispaniæ, Poloniæ, quibus plerumq; concedi solent facultates Legati de latere.

IV.

IV. Legati nati officium reale vocatur, nunquam exſpirans etiam deficiente perſona, cum conſervetur in dignitate *juxt: text: in cap. Quoniam: Abbas de Offic: delegati.* Perſonale verò Legati de latere & Nuntii deficit, quoties perſona, in qua creatum eſt, deficit, vel quia tempus præſcriptum finitum eſt. *cap: de cauſis de offic: delegati*, vel ſi à Superiore revocetur, juxta regulam *text: in l. Iudicium ſolvitur ff. de Iudiciis.* aut ſi Provinciam animo non redeundi fuerit egreſſus. *Seb: Cæſar: de Hierar. Eccleſ. diſp. 4. §. 2. num: 12.*

V. Legati omnes indiſtinctè ſunt Papæ Vicarii in Provinciis ſibi decretis. Qui Selectiſſimi viri, omnes inſuper tanquàm ejus locum tenentes, ſunt honorandi, *text: in cap: ult. 93. diſt:* Sed hodie Legati de latere multò majoris poteſtatis, & honoris prærogativâ funguntur. *text: in cap: volentes, & in cap: penult: de offic. Legati c. 1. eod. tit: lib: 6. cap. Si Abbatem de elect: eodem libro, cum aliis*, ex eo, quod Legationis officium & poteſtas in Legatis de latere plena remanſit, prout erat in ſua primæva natura, in aliis verò Legatis, ex Pontificum Conſtitutionibus reſtricta fuit, *ita DD.*

VI. Inter alias prærogativas & facultates competit Legatis de latere poteſtas abſolvendi Excommunicatos, pro violenta manuum injectione in Clericos, juxt. *text: in cap: penult. de offic Legati. cap: ad eminentiam de Sentent. excommunicat.* cui facultati Archiepiſcopi Gneſnenſis, quaſi de minoribus, imperitè obtrectavit cavillatorio ſcripto, nunc primùm à me viſo *Legulejus Tucius..* Generaliter Legati in ſuis Provinciis omnia poſſunt, quæ ſpecialiter Romano Pontifici in ſignum ſupremæ poteſtatis reſervata non ſunt, hæc enim tanquàm ardua, & ſpecialia, ſub generali poteſtate eiſdem conceſſa non comprehenduntur, juxta regulam *textus in cap: 2. & 3. de offic: Vicarii lib: 6.* probant in Specie. *text: in cap: niſi text: celebris in cap. quod translationem.*

ARTI-

ARTICULUS III.

I. SEd omissis nunc Legatis de latere, & Nuntiis missis, ad Legatos Natos, stylum deflectimus, & observamus: primum Acholium Episcopum Tessalonicensem à Damaso Papa, Legatum Natum Romani Pontificis, anno circiter --- fuisse Constitutum: & Papæ vices ratione suæ Ecclesiæ in Illyrico gessisse.

Quod privilegium, non personale, sed perpetuum, ac ut ajunt, æternâ lege Ecclesiæ Tessalonicensi concessum fuisse contra Ivonem Episcopum Carnotensem, *Epist: 69.* deducitur manifestè Epistolis Pontificum, Bonifacii I, Cælestini, Sixti III. aliisq; *à Luca Holstenio* collectis.

Cùm Perigenes Corinthiorum Episcopus Anastasii Tessalonicensis Legati Nati detrectaret imperium, Sixtus Papa III. videns se contemni in suo Vicario, audaciam ejus graviter repressit, *Epist: ad Episcopos*, per Illyricum consistentes, hisce verbis. *Noverit Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberæ minimè tribuendam, si huic* (id est Tessalonicensi) *Ecclesiæ voluerit resultare, cui necesse est, nos quoque si quid tentare voluerit, obviare, qui præteritorum, quæ illi per Nos præstita sunt, memores sumus, & illicitis semper usurpationibus obviamus.* Et ibi. *Illyricianæ omnes Ecclesiæ* (inquit) *ut à Decessoribus nostris accepimus & nos quoque fecimus, ad curam nunc pertinent Tessalonicensis Antistitis,* & inf. *Nec credatis vobis minui, quidquid reverentiæ illius, ad quem & majores nostri & nos Illyricianas Ecclesias, juxta morem traditum voluimus pertinere, à vobis & servari volumus, & deferri,* apud Holstein. pag: 192.

II. Bonifacius ante Sixtum similiter, pro Rufo Tessalonicensi, *adversus Episcopos Tessalos ait:* cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura Ecclesiam sæpè videtur injuncta. Idem ad Episcopos Il-

lyricos. Retromajores secutus (*inquit*) qui Ecclesiam Tessalonicensem sibi semper familiarem, & in Collegii charitate famulantē, dignam, sicut fides adserit scriniorum, hoc honore duxerunt. Gravissimè idem Bonifacius ad Rufum Tessalonicensem, *apud Holstein pag*: *54*. intuetur te Beatissimus Petrus Apostolus oculis suis qualiter Summi Rectoris utaris officio, *& infra*. Te ergo Frater charissime, *inquit*, omnis cura respectat earum Ecclesiarum, quas tibi vice Sedis Apostolicæ à Nobis creditas recognosces, ut & prava corrigas, & dissipata componas, & si quæ inter Episcopos eveniant Causæ, sub Divini Judicii timore distinguas, ut creditis tibi à Sede Apostolica gubernaculis, contra omnes fluctus nascentium procellarum justè & prudenter utaris. Ejusdem Bonifacii *ad Episcopos Tessalos*, Rufi Tessalonicensis Episcopi amplissimæ potestati in Causis Ecclesiasticis invidentes, & querelam ad aurem Theodosii referentes simulq́, suggerentes, uti Constantinopolitanæ Urbis Antistiti, quæ se veteris Romæ prærogativâ gaudere gloriabatur, hunc honorem tribueret, ut si quid dubietatis emergeret in Provinciis Illyrici, id non absque scientia Constantinopolitani Episcopi, ad exemplum veteris Romæ, ad quam ex omnibus Provinciis Causarum Relatio fiebat, terminaretur. *Ergo servate honorem debitum capiti*, inquit, *quia nolumus, ut intra se membra decertent, ita ut tendatur eorum ad nos usq́, certamen, dum Fratrem & Coëpiscopum nostrum Rufum dignum ducitis contemptu: cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura Ecclesiarum sæpè videtur injuncta, quod factum ita intemeratum servari volumus in futurum, sicut à patribus hujus dispositionis forma servata est. Non decet fratres alterius dignitate, morderi.* Holst. pag: 67.

III Leo I. *in Epist: 48*. ad Anastasium Tessalonicensem. Sicut Prædecessores mei Prædecessoribus tuis, ita etiam Dilectioni tuæ, priorum secutus exemplum vices mei moderaminis delegavi.

Nicolaus I. *epiſt.* 2 ad Michaëlem Imperatorem. Teſſalonicenſis Eccleſia, Romanæ Sedis vicem, per Epirum veterem, Epirumq; novam atq; Illyricum, Macedoniam, Teſſaliam, Achiam, Daciam ripenſem, Daciamque mediterraneam, Mæſiam, Dardaniam, & Prævaliam obtinet, B. Petro Apoſtolorum Principi contradicere nullus præſumat. Innocentius I. ad Anyſium Archiepiſcopum Teſſalonicenſem ſcribit. *Cui prædeceſſores mei ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus generentur Sanctitati tuæ, quæ plena juſtitia eſt traderent cognoſcenda.*

Cælęſtinus ad Epiſcopos Illyricos ſcribens: Nec nova hæc *inquit*, Sedi Apoſtolicæ de vobis cura eſt, Statutum Noſtris ſæpiùs experimentum hoc, quod nos agimus, Teſſalonicenſi Eccleſiæ ſemper eſſe commiſſum, ut vobis vigilanter intendat, & infra. Cui vicem noſtram per veſtram Provinciam noveritis eſſe commiſſam, ita, ut ad eum fratres chariſſimi, quidquid de Cauſis agitur, referatur. *Holſt: cap:* 85. Excommunicationis pænam intentat non obedientibus Epiſcopis, infrà. Sed hac perceptione cognoſcent eum, qui refragandum noſtræ auctoritati, vel illius crediderit juſſioni à fraternitatis cœtu, cum ipſe ſepararet ſegregandum.

Leo Magnus ad Anaſtaſium Teſſalonicenſem Rufi Succeſſorem. *ep.* 84. Ut auctoritatem tuam *inquit*, exercere te volumus, ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem Appellationis emiſerit, reſervari volumus. Unde cùm poſtea idem Anaſtaſius externâ potentiâ inflatus nimis aſperè tractaſſet Atticum veteris Epiri Metropolitanum, quem ſub publica cuſtodia, ad ſe Teſſalonicam deduci fecit, & contra vetera inſtituta ſponſionem ab eo fidelitatis ſcripto exegit, Leo querela Attici Romam accedentis & pietate commotus, gravem ad Anaſtaſium epiſtolam dedit. *Etiamſi quid grave agit.* intolerandumq; commiteret noſtra erat exſpectanda cenſura, ut nihil priùs ipſe decerneres, quam quod nobis placeret agnoſceres: vices enim noſtras ita tuæ credidimus chari-

charitati, ut in partem ſis vocatus ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.

Hæc de Legatione Nata ſeu Vicariatu Teſſalonicenſi, cujus exemplo Juſtinianus Imperator, *anno 417.* Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ Patriæ ſuæ, Vicariatum Sedis Apoſtolicæ, adinſtar Teſſalonicenſis à Vigilio Papa multis precibus, *auctore Baron: ad ann: 555.* & habitis cum Juſtiniano conflictibus & ærumnis fatigato, impetravit, ſeu extorſit. *Novel: Juſtinian: 131.* Cùm ab Agapeto & Silverio, Vigilii Prædeceſſoribus id minimè valuerit impetrare, indignum reputantibus, dedecore Nobilium Eccleſiarum illuſtrari novam primæ Juſtinianæ, indecenſq; alias denudare, ut una ſuperornaretur Eccleſia, creſceretq; diminutione majoris Eccleſiæ, cui ipſa ſubdita fuiſſet. *Baron: ibi.*

IV. Eadem poteſtas Vicariatûs Papæ, ſeu Legationis Natæ adinſtar Teſſalonicenſis Epiſcopi, tributa erat à Zozymo Papa Arelatenſi Antiſtiti, quam deinde ſequentes Pontifices, uſque ad Gregorium I. amplificarunt ducentorum annorum intervallo, & ſcripſit Zozymus Epiſcopis per Gallias conſtitutis, ut Arelatenſi obediant, tanquam Romani Pontificis Vicario, ne quis ignorantiæ prætextu ſe tueri poſſit.

Idem Zozymus. Placuit *inquit*, Apoſtolicæ Sedi, ut ſi quis ex qualibet Galliarum parte, ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu ad Nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire diſponit, non aliter proficiſcatur, niſi Metropolitani Arelatenſis Epiſcopi formatas acceperit, quibus Sacerdotium ſuum, vel locum Eccleſiaſticum quem habet ſcriptorum ejus adſtipulatione perdoceat. Quod ea gratia ſtatuimus, quia plurimi Epiſcopos Presbyteros, ſive Eccleſiaſticos ſimulantes, quia nullum documentum extat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, & in debitam reverentiam promerentur. Quiſquis igitur fratres chariſſimi, prætermiſſâ prædicti formata, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, ſive Diaconus, aut deinceps inferiore gradu ſit, ad nos venerit, ſciat ſe omnino ſuſcipi non poſſe.

Habuit item Privilegium Arelatenſis Archiepiſcopus, ut nulli prorſus Legato, niſi ei tantum, qui de Romani Pontificis latere deſtinatus eſſet, ſubijceretur, teſtatur. *Innocentius III. in Epiſt. 68.*

Hilarius Arelatenſis Epiſcopus Sanctiſſimus vir, multum ſollicitus fuit de retinenda auctoritate Sedis ſuæ per Gallias, ſed ut oſtenderet, non id ſe aliqua prava ambitione agere, Romam proficiſcens ad tuendam dignitatem ſuam, non rheda, non equo vectus eſt, non ambitioſum comitatum duxit, neque impedimenta, ſed ingreſſus iter pedibus, in equum omninò non aſcendit.

Arelatenſi Eccleſiæ tributas fuiſſe olim vices Apoſtolicæ Sedis apertè ſcribit *Gregorius VII.* ad Archiepiſcopum Remenſem: his verbis: *Inde eſt, quod Arelatenſis Eccleſiæ, non ſolùm à Beato Gregorio Doctore dulcifluo, ſed etiam à pluribus ejus Sanctis anteceſſoribus, cùm haberet vicem Sedis Apoſtolicæ, ut omnes Epiſcopos totius Regni Francorum, quod tunc latiùs extendebatur, ad Concilium convocaret, eoſq; in judicio conſtringeret; ſine cujus licentia, nullis de ſupradictis Epiſcopis, longè à ſuo Epiſcopatu fas erat abire, poſt aliqua tempora, pro quibuſdam cauſis prædicta poteſtas & auctoritas ceſſavit, & ſuam vicem alijs, quibus placuit, Sedes Apoſtolica conceſſit.* Greg: 7. lib: 6. Epiſt: 2. Quibus verbis innuere hoc quoque videtur Gregorius, deſiiſſe eam Arelatenſium Epiſcoporum authoritatem, poſt tempora Gregorii Magni.

V. Eccleſiæ Cantuarienſis dignitas efflorеſcere cæpit, per Auguſtinum Abbatem, quem Gregorius I. Anglos imbuere Religione Chriſtiana cupiens, *anno Chriſti 596.* in Angliam miſit Archiepiſcopum, & Apoſtolicæ Sedis Vicarium ordinavit, pallioq; decoravit, cujus privilegium perſonale tantùm fuit. Poſterioribus tamen ſæculis Vicarii, ſive Legati dignitas affixa eſt Eccleſiæ Cantuarienſi, ita; ut Eccleſiæ illius Epiſcopus diceretur Legatus Natus Sedis Apoſtolicæ.

VI. Exemplo Gregorii I. erga Anglos in fide Chriſtia-

na erudiendos, Gregorius II. Germanorum curam gessit, misso in eam Provinciam Bonifacio Presbytero *anno 719.* qui in Episcopum ordinatus fuit, & vice-Dominus Sanctæ Sedis Apostolicæ, vicem Beati Petri gerens inter feroces & indomitas gentes appellatus est, qui ad Zachariam Pontificem Romanum scribens, ait: *Et quia servus & Legatus Apostolicæ Sedis esse dignoscor, unum sit verbum, & meum hic & vestrum ibi*: Et idem in Epistola ad Danielem Episcopum agnoscit, nullam se muneris sui partem exequi posse, absque auctoritate Caroli Francorum Principis. Nam sine patrocinio Principis Francorum, nec populum regere, nec Presbyteros, vel Diaconos, Monachos, vel ancillas Dei defendere possum, nec ipsos paganorum ritus, & Sacrilegia idolorum in Germania, sine illius mandato, & timore prohibere valeo. Eundem Gregorius Secundus commendavit Carolo Francorum Duci, cui Martello cognomen. Pro quibus cum gloriosæ benevolentiæ tuæ, *inquit*, omnimodè commendamus ut in omnibus necessitatibus adjuvetis, & contra quoslibet adversarios, quibus in Domino prævaletis, instantissimè defendatis.

VII. Instituendi perpetuos in Provinciis Legatos ea caussa & cura fuit retinendæ dominationis arcano, ut populos imbuerent reverentiâ Pontificum Romanorum commendata Successione, & auctoritate Apostolica: intentatis porrò minis adversus eos, qui Majestatem Romanæ Sedis minus colere viderentur, & suetus jam Legatis Christianus Orbis ea persuasione firmaretur, curam universalis Ecclesiæ ita pertinere ad Summum Pontificem, ut cuncta Ecclesiarum negotia, ab illo, seu Legatis ejus judicanda essent.

Ita Honorius III. Epistola ad Rogierium Archiepiscopum Pisanum. *Corsica* inquit, *desuetudine & obedientia Romanæ Ecclesiæ deferbuit.*

ARTICULUS IV.

INter Legatos Natos, Rex Siciliæ computatur à Doctoribus præſertim Hiſpanienſibus. Recenſetur Privilegium Urbani II. *apud Baron. ad annum 1091. num: 23.* Rogiero Comiti Calabriæ & Siciliæ, ejuſq; filiis, & legitimis hæredibus, quaſi conceſſum in verbis. Omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra poteſtatis Veſtræ, præter voluntatem, aut conſilium Veſtrum, Legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus, quin imo, quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam Legati vice cohiberi volumus.

II. Hocce privilegium, cujus authographum nullibi erat, advocatus Fiſcalis Caroli V. Imperatoris, Siciliæ Principis placendi ſtudio, uti quiddam Divinum, in ſublime attollere præconiis, & ſummo plauſu excipere, & ut lapidi angulari facienti utraque unum, temporali & ſpirituali juncta authoritate, novam hactenus in Eccleſia Catholica inauditam Monarchiam ſuperſtruere cæpit. Quod Imperatorio promulgatum edicto, & Regiis cuſum typis, libro qui inſcribitur. *Monarchia Siciliæ*, ſubſcribentibus omnibus Regni Conſiliariis, *anno 1526. die VII. Menſis Decembris.* receptum ac confirmatum fuit.

Sed Privilegium aſſertum, neque tamen in originali unquàm productum turpiter mutilatum, depravatum, nunquam à Succeſſore aliquo Urbani circa inveſtituras Regum Siciliæ, vel alias confirmatum, atque ſi germanum & legitimum fuiſſet, in extinctis Rogierii hæredibus deſinens, denique poſt tot ſæcula oblivione ſepultum, manifeſtæ vanitatis & obtruſionis convincit. *Baron. ad annum 197. num: 22. & ſequentibus.* An enim per quadringentos ultra annos, ad Caroli V. uſque tempora omninò latere, & recondi potuiſſet? an Principes Siciliæ aliqui, Pontificibus Romanis infeſtiſſimi illud producere, & immanem prærogativam ſibi arrogare intermiſiſ-

misissent? an Urbanus Papa sanctitate, prudentiâ & Jurium Ecclesiasticorum, contra Henricum Imperatorem acerrimum Ecclesiæ hostem, defensione laudatissimus, tam enorme præjudicium Sedi Apostolicæ intulisset? an Romanæ Sedis inconcussa petra, & Sacrorum Canonum Sanctiones, Principem sæcularem, Legati Nati titulo, omnia, quæ sunt Legatorum à latere, facere, Ecclesiasticam Jurisdictionem exercere, imò & substituendi potestatem habere, cum eadem authoritate, nimirum ut judicare & punire possint, absolvere, & excommunicare, Laicos, Monachos, Clericos, etiam Ecclesiastica dignitate, Prælatos, Abbates, Episcopos, & Archiepiscopos, imò & S. R. Ecclesiæ Cardinales in Sicilia degentes, sibi tanquàm Subditos subijcere, appellationes ad Sanctam Sedem Apostolicam impedire, Nuntios ejusdem S. Sedis non admittere, atque demum respectu Ecclesiasticæ Jurisdictionis, neque ipsam Apostolicam Sedem recognoscere, & habere superiorem, nisi in casu præventionis, turrimq; Babel ædificare paterentur.

III. Hæc egregiè prolixè refutat *Cardinalis Baronius*, cui veritas, & libertas scribendi maximo stetit. *Proscribitur* inquit *Gramondus Historiarum Galliæ lib: 1. ad annum 1610. edicto.* Regis Catholici opus, ipseq; Author non multo post, factione Hispanica excluditur, à prima Sede, ad quam virtute & suffragiis vocabatur: nam Reges Hispani in temporalibus & spiritualibus affirmant se in Sicilia adeò Dominos esse, ut Jure Regio in multis, Summi Pontificis officio defungantur, qualia sunt, beneficiorum collationes, dispensationes redituum Ecclesiæ &c. quæ à Sede Apostolica Decessoribus suis permissa asserunt, in remunerationem redacti in obedientiam Romanæ Ecclesiæ Regni, quod Saraceni invaserant: hinc beneficio Apostolicæ Sedis asserunt, ipsa Ecclesiæ Jura translata in Reges, *idem Gramon:* infra. Non tamen abnuit Baronius inter Romanos Pontifices, atque Siciliæ Reges nominatim inter Rogierium atque Eugenium Papam, ita concor-

datum

datum fuiſſe, quod nullum Legatum mitteret in Siciliam Pontifex, niſi quem Rex ipſe peteret, ſed non ut Rex ipſe Legati Apoſtolici vicem teneret, quod ab Urbano conceſſum fuiſſe aſſeritur. *ibid: num: 25.*

ARTICULUS V.

I. NEque nova priſco & recenti ævo hæc Regum adverſus Legatos Pontificios oppoſitio. Angliæ Rex Henricus, teſte Baronio, *eodem anno*, *num: 42.* à Papá Caliſto XI. impetravit ut omnes conſuetudines, quas Pater ſuus in Anglia habuerat, & in Nortmania ſibi concederet, & maximè, ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe aliqua præcipua querela exigente, quæ ab Epiſcopis Regni ſui terminari non poſſet, hoc fieri à Papa poſtularet. Verba hæc Cadmeri *in lib: 5. Hiſtoriæ, Baronius* deſcribit, omiſſa Archiepiſcopi Cantuarienſis mentione, ita enim *Cadmerus ibid.* quæ ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, cæteriſq; Regni Epiſcopis terminari non poſſent.

Iterum *ad annum Chriſti 1117. idem Baronius.* Caliſtus Papa, poſt Concilium Rhemenſe, Giſortium venit, quò ad ejus colloquium Rex Anglorum Henricus accurrit. Acta ſunt multa inter illos, quorum gratia par erat, tantas conveniſſe perſonas; Inter quæ Rex à Papa impetravit, ut omnes conſuetudines, quas Pater ſuus in Anglia & in Nortmania habuerat, ſibi concederet, & maximè, ut neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe (aliqua præcipuâ querela exigente, quæ ab Epiſcopis Regni ſui terminari non poſſet) hoc fieri à Papa poſtularet.

II. Memorantur exempla. Inprimis Pontificatu Urbani II. miſſus erat in Angliam Walterius Epiſcopus Albanenſis, Wilhelmum Regem adiit, cuncta facturus, per quæ Regis animum ſibi conciliare poſſet, ſed Rex oppoſuit, ne antiqua con-

suetudo violaretur, qua receptum erat, ne quis alius in Anglia Legatus Sedis Apostolicæ esset, præter Episcopum Cantuariensem.

Extremis deinde Paschalis II. temporibus, cùm Anselmus Abbas à Romano Pontifice accepisset Legationem Angliæ, trajiceretque propterea vellet à Nortmania in Angliam: Rex Henricus *inquit* Cadmerus, antiquis Ecclesiæ Consuetudinibus præjudicium inferri non sustinens, illum ab ingressu Angliæ detinebat, ei tamen ut pote Nuntio B. Petri largiter & officiosè ministrari faciebat. Narrat deinde *Cadmerus* illum, nec Angliam intrare, nec aliquo officio Legati functum esse.

Idem Henricus Rex, cùm aliquot post annis Papa Calistus sponte Legatum in Angliam misisset Petrum Leonis Monachum Cluniacensem, tametsi eum magnificè receperit pro reverentia Sedis Apostolicæ, Legati tamen officium exequi prohibuit: obtendens Patrias consuetudines ab Apostolica Sede concessas, in quibus hæc, & de maximis una erat, quæ Regnum Angliæ liberum, ab omni Legati ditione constituerat. Itaque Legatus ille Regno egredi coactus est, cûm nullam prorsus muneris sui functionem attigisset. Rem ita narrat *Cadmerus*: inter alia Regem pronunciasse, Legationis illius stabilem authoritatem, nonnisi per conniventiam Episcoporum, Abbatum, & Procerum, ac totius Regni conventum roborari posse.

Inhibuerat etiam Henricus ne idem Legatus ad Ecclesias, aut Monasteria Regni accederet, donec ad ipsum pervenisset, neve aliunde victus illi suppeditaretur, quam ex fisco. Quod factum specie honoris, magni tamen momenti erat. Sic quippe providebatur, ne vel minima Legati potestate uteretur. Sumptus enim Legatis præstare tenebantur Episcopi earum Regionum, ad quas illi mittebantur, unde argumentum trahere potuisset Petrus, susceptam fuisse ab Episcopis, & Abbatibus Anglicanis Legationem suam, si diversatus apud Ecclesias & Monasteria, procuratus ab illis fuisset.

De eodem *Baronius, annal: Eccleſ. ad annum Chriſti 1117. fol: 117.* Cùm in Anglia Petrus Leonis, Cardinalis, Legatione à Pontifice Romano malè fungeretur, Henricus Rex provocandum putaverat ad antiqua Privilegia, quod ſcilicet Cantuarienſes Epiſcopi fungerentur Legatione Sedis Apoſtolicæ, ex Privilegio S. Gregorii Papæ illi Eccleſiæ conceſſo, ob idq; diceret in Angliam alium non eſſe mittendum Legatum, ſed ſatis eſſe debere vice Pontificis Romani eſſe ibi ſemper Legatum ipſum Cantuarienſem Archiepiſcopum. Ad hæc igitur conſervanda ſibi Jura, & ad propulſandam Legatorum ingruentium rapacitatem, Henricus Rex Romam, magni ponderis Legationem credidit Radulpho, Cantuarienſi Archiepiſcopo, cui additus nomine Epiſcoporum, & Regis Legatus, Herebertus, Epiſcopus Norruvicenſis, qui cùm Romam perveniſſent, Paſchalem Papam ibi non invenerunt nam (ut tradit Wilhelmus, hujus temporis author) abſens tunc erat, Beneventiq; morabatur. *Obſederant enim* inquit, *Imperatoris Satellites, qui tunc ſecundò Romam armis territabat, medios calles. Nec potuit Archiepiſcopus potiri Papæ colloquio, niſi per internuntios. Illi quid apud Papam egerint, epiſtola manifeſtabat, quæ ſic ſe habet.*

Paſchalis Epiſc: Servus Servorũ Dei.

Venerabilibus Fratribus, Angliæ Epiſcopis, & chariſſimo filio Henrico, Illuſtri Regi, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

VEniente ad Nos Chariſſimo & Reverendiſſimo fratre Noſtro Radulpho Archiepiſcopo, Veſtram ad Nos miſſam Legationem per Venerabilem Epiſcopum Herrebertum Norruvicenſem, cognovimus. Et quidem gravibus infirmitatum moleſtiis impediti, iidem fratres & Cöepiſcopi perve-

pervenire ad noſtram præſentiam minimè valuerunt: ſed Nuntiorum honeſtis Venerabilibuſq; perſonis pervenientibus, eorum ſcripta ſuſcepimus, in quibus & ipſorum poſtulationes, & Veſtræ Legationis vota perſpeximus: id enim optabatur, id poſcebatur, ne Eccleſia Cantuarien: temporibus noſtris, ſua dignitate privetur, ne nos eandem dignitatem minuamus, aut minui ſinamus, qua videlicet potita eſt, ex quo à B. Gregorio, per B. Auguſtinum fundata eſt. Præter hæc literarum indicia, Legati qui ad nos miſſi ſunt, ut Sapientes ac ſtrenui viri aſſertiones ſuas prudenter, inſtanter, & efficaciter executi ſunt. Nos profectò & Legatorum perſonas & aſſertiones, & veſtrum omnium Legationes, tanquàm chariſſimorum fratrum benignè hilariterq; ſuſcepimus, quod vobis in Domino propter Dominum placere optamus. Veſtræ ergo dilectioni notum habere volumus, quòd Cantuarienſis Eccleſiæ dignitatem, nec imminuimus, nec imminuere deſideramus. Beatum namq; Gregorium Apoſtolicæ Sedis Pontificem, tanquam præcipuum Chriſti Domini membrum, tanquam Chriſtiani populi Paſtorem & Doctorem, & tanquam ſalutis æternæ Miniſtrum, in omnibus veneramur, & rata eſſe cupimus, quæ ab ejus inſtitutionibus proceſſerunt, illam ergo dignitatem, quam ab eo, per B. Auguſtinum Cantuarienſis ſuſcepit Eccleſia, & quam Sanctæ memoriæ frater noſter Anſelmus, jure ac poſſeſſione legitimâ tenuiſſe cognoſcitur, nos profectô nullatenùs imminuimus, ſed in eo ſtatu eſſe Cantuarienſem Eccleſiam volumus, ut authentica ejus Privilegia, juxta Canonum ſanctiones, nullis perturbationibus violentur. *Data Beneventi, nono calendas Aprilis.* Non diſſimilem repulſam paſſus in Anglia fuerat ipſe Caliſtus, ſub Paſchali Secundo. Eodem anno, *inquit Cadmerus*: venit in Angliam Guido Archiepiſcopus Viennenſis, functurus ut dicebat Legatione totius Britanniæ, ex præcepto & authoritate Apoſtolicæ Sedis. Quod per Angliam auditum in admirationem omnibus venit: inauditum ſcilicet in Britannia cuncti ſci-

entes quemquam hominum super se vices Apostolicas gerere, nisi solum Archiepiscopum Cantuariæ. Quapropter sicut venit, ita reversus est, à nemine pro Legato susceptus, nec in aliquo Legati officio functus.

De Alexandro Papa III. *Rogierius ab Hoveden.* Misit *inquit* Alexander Vivianum Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, in Scotia, & Insulis circumjacentibus, & in Hybernia & in Norevveja ad causas Ecclesiasticas audiendas & determinandas, secundùm quod ei Deus administraret. Qui cum in Angliam veniret, Dominus Rex misit ad eum Richardum Vintoniensem, & Gandefridum Eliensem Episcopos, ut interrogarent eum, cujus authoritate ausus erat intrare in Regnum suum, sine licentia ipsius. His igitur interrogationibus prædictus Cardinalis plurimum territus, de satisfactione juravit Regi, quod ipse nihil ageret in Legatione sua, contra voluntatem illius. Et sic data est ei licentia transeundi usque in Scotiam.

Anno MCCXLV. inter varia gravamina, quæ in Concilio Lugdunensi proposita sunt nomine totius Regni Angliæ, etiam illud auditum est, Martinum Legatum in Angliam venisse, sine Domini Regis licentia. Deinde Procuratores universitatis Angliæ, de eodem Martino loquentes ajunt, istud factum esse Privilegio Regis admodùm derogando, per quod ei à Sede Apostolica specialiter indulgetur, ne quis in Anglia Legationis fungatur officio, nisi à Domino Rege specialiter postulatus. *Matthæus Paris: pag: 647.*

III. Idem de Joanne Rufo, quem Innocentius IV. *anno 1247.* misit in Hyberniam, ait ei tributum non fuisse nomen Legati, propter Privilegium Angliæ, neque rubris vestibus, quod insigne fuit Legati usum esse. Idem Matthæus Vestmonasteriensis. Magnis *inquit* armatus potestatibus quasi Legatus, non tamen rubris vestibus insignitus, ne videretur Dominus Papa, Dominum Regem Angliæ offendisse, qui quodam gaudet Privilegio, videlicet, ut non veniat Legatus in terram suam, nisi postulatus.

ARTI-

ARTICULUS VI.

I. Regum Galliæ Privilegium de non admittendis Legatis Papæ, nullibi reperio, sed ex antiqua consuetudine, prætendunt illi, ac constantissimè tuentur, non posse Summum Pontificem mittere in Galliam Legatos à latere, cum facultatibus amplissimis, nisi ad postulationem Regis, vel cum consensu ejus. Legatum porro uti non posse facultatibus suis, donec (si Gallicis authoribus fides) scripto jurejurandoq; pollicitus Regi fuerit, non usurum se eis, nisi quamdiu Majestati ejus placuerit, desiturum porrò statim, ac certior factus fuerit, Regem nolle, ut eis ampliùs utatur. Ea de Causa, & quia multa interdum continentur in facultatibus Legationum, quæ moribus nostris, & juri recepto adversantur, primum Summus Pontifex Regem admonet destinasse se in Galliam Legatum, exempli causa Joannem, ut consensum ejus eliciat, dein cùm Legatus attigit fines Galliæ, Nuntium mittit ad Regem cum facultatibus suis, ut videre possit, an aliquid in illis contineatur contrarium libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, aut Juribus Regiis. Quia verò Princeps aliis negotiis occupatus, ista per se examinare non potest, facultates illas mittit ad Parlamentum Parisiense, simul mandans, ut eas verificent, & Actis Curiæ inscribant. Parlamenti verò officium est eas diligenter examinare, adnotare si quid deprehenderint illic insertum adversus vetustos mores & publicam Regni disciplinam: si nihil istiusmodi animadverterint in acta referre: si verò nonnulla repererint emendatione digna, his decernere, non teneri Gallos adeoque modum peregrinis Decretis imponere, quod vulgò dicimus, modificare facultates Legati, tum demùm si Rex permittat, Legatus utitur facultatibus suis sic modificatis, & inflexis.

Collegerunt exempla Odoricus Raynaldus, Petrus Puteanus, Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis unum saltem referamus.

II. Anno MCCCCLXXXIII. Sixtus Legatum in Galliam destinavit, Joannem Balvam, Episcopum Albanensem, ut collapsam disciplinam Ecclesiasticam restauraret. Quia verò ille, ut erat homo audax, Regnum Franciæ ingressus est, licentiâ vel consensu Domini Nostri Regis minimè petitô, seu habito, ejusq; Legatione minimè recepta, nisus est officium suæ Legationis exercere, & quæcunque ad Jurisdictionem Ordinariam Archiepiscoporum &c. spectant & pertinent exercere, pluraq; agere adversus Sanctorum Canonum reverentiam & mores in Gallia receptos, Joannes Nanterra, nomine Regis qui tum erat Carolus VIII. ab his gravaminibus appellavit ad Sanctissimum Dominum Nostrum Papam Sixtum, minùs debitè consultum, ad ipsum meliùs consulendum &c.

Confirmat idem Nicol. Boërius in tractatu de pot. Leg. §. 32. *Ita servatur in Regno Franciæ, quod antequàm Legatus Pontificius intret Regnum, & suo utatur Legationis officio, jurat servare jura Regni intacta, & ordinationes Regias. Et ejus potéstas solet in suprema Parlamenti Parisiensis Curiâ regestrari.*

Ediderat Bonifacius VIII. adversus Philippum IV. Francorum Regem decretalem *super gentes*, quæ in extravagantibus tribuitur Joanni XXII. in qua sic legitur. *Verùm cum aliqui hujusmodi officium & potestatem, ipsius Romani Pontificis, quam non ab homine, sed à Deo recepit sub suo arbitrio redigere molientes, Legatos ipsos, nisi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum, transmissi, subjectas sibi terras dicentes hoc eis de consuetudine competere ingredi non permittunt: nos hujusmodi consuetudinem, non tam irrationabilem, quàm iniquam, animarum saluti contrariam, detrahentemq; Apostolicæ potestati, auctoritate Apostolica penitùs reprobantes, Legatos ipsos ab omnibus cujuscunq; praeminentiæ, conditionis, aut Status fuerint, debere admitti decernimus, nec eos prætextu cujusvis consuetudinis impediri posse à quoquàm Christiano nomine gloriante, quominùs Regna, Provincias, & terras quaslibet ad quas*

ipsos destinari contigerit, ingrediantur liberè, ac commissæ sibi Legationis officium exerceant in eisdem. Excommunicat deinde eos, qui præsumerent impedire Legatos, eorumq; Regna & terras Ecclesiastico imponit Interdicto, quàmdiu in hujusmodi contumacia duxerint persistendum. Revocat autem omnia Privilegia, quibus iidem uti vellent, ad asserendum hoc suum Jus, seu ex consuetudine descenderet, seu aliunde. Hæc tamen comminatio, non exterruit Reges Galliæ, neque effectum sortita est.

ARTICULUS VII.

I. APud Hispanos, authore *Dicano Covarruvia cap: 35. Practicarum quæst.* facultates Legatorum, seu Nuntiorum Apostolicæ Sedis examinantur: ut admoneri possint à Summo Regis prætorio, *inquit*, quibus uti conveniat dispensationibus & Commissionibus, ne quid fiat in Reip: dispendium, cùm plerumque Nuntii Apostolici exteri sint, nec satis noverint, quæ sint præcavenda, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur. Addit Franciscus Salgadus tractatu de supplicat. *fol: 27.* quòd quando Nuntius, aut Legatus à latere mittitur in Hispaniam à Summo Pontifice, in more habet Senatus Regis petere, ut ostendat, facultates commissas à Pontifice, non animo examinandi idoneitatem personæ missæ, sed ut hunc jubeat, quem literis patentibus constat esse Nuntium, aut Legatum Papæ, & ut adhibeatur ei fides in iis, quæ pertinent ad munus suum.

II. Reges Scotiæ nitebantur Privilegio Clementis III. quod Cælestinus III. & Honorius III. confirmavêre, *ut nulli de cætero, qui de Regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo Legationis officium exercere.* Exinde cùm Clemens IV. Legatum in Scotiam misisset, ad conquirendam, ad expeditionem in Saracenos pecuniæ Summam grandem, admis-

sus

ſus in Regnum non eſt, ſed extra fines Scotiæ ſubſiſtere juſſus, ac per literas, mandata exponere. *Hector Boët: lib: 13. Hiſt: Scotorum fol. 289.*

III. Legatorum in Provincias venientium cum ampliſſima authoritate, maximus terror fuit, teſtatur iſtud Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis, in Epiſtola 23. ad Cardinales Romanæ Eccleſiæ, in qua laudans Legatos quoſdam ait in eis *tantam refulgere Apoſtolicæ ſanctitatis & doctrinæ perfectionem, ut ei plus gratiæ merita contrahant, quàm terroris reverentia diſciplinæ.* Quis enim quantumvis ſui ſecurus non timeret, cùm intelligeret omnia Provinciarum negotia, in arbitrio Legati poſita eſſe, eam porro dignitatem eſſe ejus, ut ei Reges & Principes loco cederent, aſſurgerent. Quis Epiſcoporum etiam de ſanctitate morum ſuorum præſumens, eâ ſecuritate inſtructus eſſe poterat ut non timeret hominem, qui fiducia Legationis, eos propriâ authoritate ſuſpenſurus erat, ſi id animo collubitum eſſet ſuo, à miniſterio & officio eorum, tum etiam à gradu Epiſcopali deijceret, ſi res ita ferret? præterea electiones Epiſcoporum pendebant ab authoritate Legatorum.

IV. Mittendorum Legatorum cauſa non poſtrema fuit Pontificibus, quòd antiquitùs Concilia, authoritate Regum celebrari invaluerant. Sed Pontifices decernebant nemini licere generalem Synodum convocare abſque juſſione Sedis Apoſtolicæ. Ex eo principio emerſit neceſſitas mittendorum Legatorum in Provincias, ut Concilia celebrarentur ſub eorum præſentia, tanquàm ſi ipſe ſummus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes adeſſet, & Ordini judiciorum immineret. Ita Nicolaus Papa miſit Legatos in Galliam in Cauſa divortij Lotharii, & Theutbergæ, propter quam Concilium Metenſe, ab Epiſcopis celebrari jubebat, cui authoritate Apoſtolica Legati ſui præſiderent. Attamen his verbis utitur, quæ plurimùm modeſtiæ præferunt: fortaſſis ut eâ ratione faciliùs Epiſcopos ad conſenſum traheret: obſtituros novitati, ſi pervicaciter quæſita autho-

authoritas fuiſſet. Hortatur enim eos, ut cum Legatis Apoſtolicæ Sedis Synodum congregent, cui cum fraternitate eorum præſideant iidem Legati, quatenus *inquit*, à Pontificis noſtri latere venientibus miſſis, Synodicam illic celebrationem, Apoſtolica fulti authoritate, cum fraternitate veſtra præſidentibus adunare debeatis. Attamen licet Nicolaus PP. miſerit Legatos ad Concilium nationale, retinuiſſe tamen reverentiam erga Reges Galliæ, colligitur ex epiſtola ejus ad Rodoaldum & Joannem, de Synodo Metenſi convocanda. Nam cum generalia mandata dediſſet, ſpecialemq; inſtructionem cum hac epiſtola mittere ſe ſignificaſſet, jubet ut tam epiſtolas Synodicas, quàm iſtas, ipſumq; commonitorium Regi Carolo, præſentibus cunctis oſtendant. Quod idem eſt, acſi juberet, Legati literas legationis ſuæ, ſive facultates, ac præterea ſecretas (ut hodie loquimur inſtructiones) cum Principe communicarent, ut præſentibus Conſiliariis ejus examinarentur, tum verò demùm executioni mandentur, delegataque ſibi auctoritate, conſenſu Regis accedente Legati utantur. *Hæc ſunt verba in appendice Epiſtolarum Nicolai ep:* 2. Et deinde *cùm pro cauſa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioſo Regi epiſtolas Synodicas & has quas nunc vobis dirigimus, pariter cum Commonitorio, præſentibus cunctis oſtendite.*

ARTICULUS VIII.

I. DE aliis recentioris ævi diverſorum Regnorum & Eccleſiarum Legatis Natis. *Baron: ad annum 1097. num.* 31. *Plures ſunt* inquit, *hodie in Eccleſia Catholica Nobiliſſimarum Eccleſiarum Antiſtites, qui ex vero certoq; Privilegio Apoſtolicæ Sedis, Legati Nati obtinent dignitatem.*

Manet ſua auctoritas & Juriſdictio Legationis Natæ Archiepiſcopo Colonienſi, *ut Aloac. in ſua praxi in Rubr:* Triplices Leg: Saltzburgenſi in Germania, Toletano, in Hiſpania,

nia, Rhemenſi, in Gallia. Piſano, in Italia. *Franc: cap: 1. n. 10 De off. Leg.* Trevirenſi, in Belgio, Gneſnenſi, in Polo-lonia, ſine contradictione, uti addit *Azorius Societ: IEsu, Inſtit: Moral: par: 2 lib: 5. cap: 27. Henric: loc: cit: Barbos: de off. & poteſt. Epiſc. par: 1. tit: 3. cap. 7. num: 17. §. verum Henr: Caſiſt. in Summ: Iur: Can: lib: 1. tit. 3. 17. De offic. Leg: §. 2. Zoes. lib: 1. Decretal: tit: 30. num: 3. Noviſſimè Proſp: Fang: in cap: nulla num: 38. verb: Præmitto ejuſmodi Legatos Natos de Conceſſ. Præb: latè Gambar: de auth: Leg.*

Nominatur præſens in Concil: Tridentino Mocenicus, Archiepiſcopus Nicoſienſis Regni Cypri Primas, Legatus Natus.

II. Martinus Cromerus proximior temporum Joannis Łaſcii *lib: de Repub: & Majeſt: Polon: fol: 108.* Ad Gneſnenſem Archiepiſcopum, ab ipſo etiam Leopolienſi Archiepiſcopo datur provocatio, idque eo nomine, quod ille eſt Legatus perpetuus, ſive ut vulgò loquuntur Natus Sedis Apoſtolicæ.

Noviſſimè *Chriſt: Wintzler in tract: de Iuriſdict: Epiſc: Germaniæ tit: 30. de Leg: Ap: num: 4.* Audiunt univerſas Cauſas, quæ per appellationem, vel querimoniam à ſubditis ſuorum Suffraganeorum ad ſuam audientiam deferuntur, ſicut alii vices Pontificis in Provincia gerentes, etiam in præſentia Legati à latere. *And: de Butr: Card: Imol: teſte Ioanne Bromel in Tractatu de dig: & poteſt: Leg: Concl: 17. ded: 1. & 2.* Ne Jus Leg: Natæ ſit inutile, ut in ſimili pro Legato de latere eum Panorm: ibi arguit *Brunel.* Alias quoad momentaneum, & quaſi tranſiens officium ſuum, ob reverentiam S. Sedis Apoſt: facilè demittent. Eoq; modo *cap: volentes 10. de offic: Leg:* & Reſcriptum Pontificis hoc innuens intelligitur. Et quia iſtud jus Eccleſiis inhæret. *d. cap. 1. & cap: penult.* reale & perpetuum eſt, & morte Pontificis non expirat. *Petr: Andr: Gembar: dè Auth: Leg: de lat: in princ: num: 9.* Nec ſpeciali commiſſione indiget, aliàs potiùs datum quàm natum, ſive inhærens diceretur.

III.

III. Et tametsi aliquibus in locis, seu Hæreticorum, aut infidelium vi & feritate, seu temporum vicissitudine, exercitium Legationis Natæ cessaverit, Privilegia tamen Summorum Pontificum æterna, inconcussa manent, quæ uti Juri Communi conformia, & favorabilia ampliari, non restringi decet. *cap: odia de Reg: Iur. in 6.* Eximiè facit ex epistola Ivonis apud *Baron: ad annum 1099.* Professio Romani Pontificis, nihil de traditione quàm à probatissimis prædecessoribus meis traditam, & servatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer ut eorum discipulus & sequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, observare ac venerari profiteor.

IV. Legatio Nata Cantuariensis Ecclesiæ celeberrima est, ejus tamen Privilegium non extare, plane compertum habeo, sed auctoritas & præeminentia Archiepiscopi Cantuariensis multis deducitur.

V. *Baron: ad annum 172. num: 8. & aliis.* Cùm negaret Eboracensis Archiepiscopus privilegium à S. Gregorio concessum Ecclesiæ Cantuariensi extendendum esse ad Successores, ejus Sedis primi Archiepiscopi Augusiini, eò quod de Successoribus ejus, nulla ab eodem S. Gregorio mentio facta esse reperiatur: Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis inanem tergiversationem adversarii, exemplo simili mutato sic elusit & confutavit: porrò quod dicis potuisse Beatum Gregorium si voluisset Successoribus Augustini confirmare, quod concesserat Augustino: verùm omninò est, nec potest ambigi, sed quod quæso præjudicium hoc Cantuariensi Sedi affert? à simili causam proponam.

Nam quando Dominus & Salvator Noster JESUS Christus dixit Beato Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram, ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni cælorum*: potuisset adijcere si voluisset, eandem potestatem Successoribus tuis concedo, verùm dicti prætermissio, nihil reverentiæ imminuit Successoribus Petri. Ibisne his verbis obviam?

refereſne adverſa? enim verò omnium Chriſtianorum conſcientiis eſt inditum, ut nihilominus quam B. Petro, Succeſſoribus ejus & minantibus attremant, & Serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant. Et inferiùs. Sicut dixit Chriſtus omnibus Præſulibus Romanis, quod dixit Beato Petro: ità dixit Gregorius omnibus Succeſſoribus Auguſtini, quod dixit Auguſtino: Hinc conficitur, ut ſicut Cantia ſubijcitur Romæ, quod ex ea fidem accepit: ità Eboracum ſubijciatur Cantiæ, quæ eò prædicatores miſit.

Huic graviſſimæ altercationi de primatu Cantuarienſis ſuper Eboracenſem ſopiendæ, Alexander Pontifex Romanus Synodum in Anglia promulgavit, quatenus conventus Anglicæ terræ Epiſcoporum, Abbatum, cæterarumq; religioſi ordinis perſonarum, utriuſq; partis rationes audiret, diſcuteret, definiret. Factumq; eſt ita. Exſtat.

Synodale Decretū definitivum his verbis.

ANno ab Incarnatione Domini Noſtri IESU Chriſti, Milleſimo, Septuageſimo, Secundo,* Regni verò Wilhelmi glorioſi Regis Anglorum, & Ducis Northmanorum Sexto, Pontificatûs autem Domini Alexandri Papæ undecimo, in præſentia Regis, Epiſcoporum & Abbatum ventilata cauſa eſt, de Primatu quem Lanfrancus Dorobernenſis Archiepiſcopus, ſuper Eboracenſem Eccleſiam jure ſuæ Eccleſiæ proclamabat, & de ordinationibus quorundam Epiſcoporum, de quibus, ad quem ſpecialiter pertinerent, certum minimè conſtabat. Et tamen aliquando diverſis Cauſarum auctoritatibus probatum, atque oſtenſum eſt, quod Eboracenſis Eccleſia, Cantuarienſi Eccleſiæ debeat ſubjacere, ejuſq; Archiepiſcopi, ut Primatis totius Britanniæ diſpoſitionibus, in ijs, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent, in omnibus obedire. *Et infra.* Si Cantuarienſis, Concilium cogere voluerit

luerit, ubicunque ei visum fuerit, Eboracensis Archiepiscopus sui præsentiam cum omnibus sibi subjectis Episcopis ad nutum exhibeat, ut ejus Canonicis dispositionibus obediens existat. Quod autem Eboracensis Archiepiscopus professionem Archiepiscopo Cantuariensi facere, etiam cum Sacramento debeat, Lanfrancus Dorobernensis, seu Cantuariensis Archiepiscopus, ex antiqua Antecessorum consuetudine ostendit, sed ob amorem Regis, Thomæ Archiepiscopo Eboracensi Sacramentum relaxavit, scriptamq; tantùm professionem recepit, non præjudicans Successoribus suis, qui Sacramentum cum professione à Successoribus Thomæ exigere voluerunt. Qua causa plenissimè definita, Thomas Eboracensis Archiepiscopus professionem hanc emisit, quæ sequitur.

VII. Decet Christianum quemque Legibus Christianis subjacere, nec his, quæ à Patribus salubriter instituta sunt, quibuslibet rationibus contraire. Hinc namque iræ, dissensiones, invidiæ, contentiones, cæteraque procedunt, quæ amantes suos in pænas æternas demergunt, & quantò quis altioris est ordinis, tantò impensiùs Divinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas, ordinatus jam Eboracensis Ecclesiæ Metropolitanus Antistes, auditis, cognitisq; rationibus, absolutam Tibi Lanfrace Dorobernensis Archiepiscope, tuisq; successoribus de Canonica obedientia professionem facio, & quid quid à te, vel ab eis justè & Canonicè injunctum mihi fuerit, servaturum me esse promitto.

De his in Synodo gestis in causa Eboracensi, certiorem fecit Alexandrum Papam per Epistolam: Allata est *inquit* Ecclesiastica gentis Anglorum historia, quam Eboracensis Ecclesiæ Presbyter, & Anglorum Doctor Beda composuit. Lectæ sententiæ, quibus pace omnium demonstratum est: à tempore Beati Augustini primi Dorobernensis Episcopi, usq; ad ipsius Bedæ ultimam senectutem, quæ ferè centum & quadraginta annorum spatio terminatur, antecessores meos super Eboracensem Ecclesiam, totamq; Insulam, quam Britanniam

vocant, necnon Hyberniam, primatum geſſiſſe, curam Paſtoralem omnibus impendiſſe, in ipſa Eboracenſi urbe perſæpè locis finitimis, ubi eis viſum fuit, Epiſcopales ordinationes atque Concilia celebraſſe, Eboracenſes Antiſtites, ad ipſa Concilia vocaſſe, & cum res popoſciſſet, de ſuis eos actibus rationem reddere compuliſſe. Epiſcopos quoque quorum ſubjectionem in quæſtionem adduxerat, infra illud centum & quadraginta annorum ſpatium per Dorobernenſes Archiepiſcopos fuiſſe ſacratos, ad Concilia vocatos. Quoſdam quoque exigentibus culpis, ab eis cum Romanæ Sedis auctoritate depoſitos: multaq; in hunc modum, quæ epiſtolaris modeſtia per ſingula explicare non poteſt, diverſa ad legendum porrecta Concilia, quæ diverſis temporibus, diverſis de Cauſis à meis ſunt Anteceſſoribus celebrata. Quæ tametſi non eandem ſuæ Inſtitutionis habuêre materiam, eandem tamen de Primatu & ſubjectionibus Epiſcoporum tenuêre Sententiam, recitatæ eorundem, de quibus quæſtio verſabatur Epiſcoporum ante prædeceſſores meos factæ electiones, & per eos ordinationes, quæ Dorobernenſi Eccleſiæ de ſua obedientia ſcriptas reliquerunt profeſſiones. Urbs namque quæ nunc *Cantuerbia*, (poſt *Cantuaria*) nominatur, antiquis temporibus ab ipſis terræ incolis Dorobernia vocabatur.

Acceſſerunt omnium teſtimonia, quia omnia, quæ ſcripta ſonuerunt, ſe ſuis quiſque temporibus vidiſſe & audîſſe conſtantiſſimè affirmaverunt. Nec defuerunt geſta, quibus reſeratum eſt cum Anglia per plures Regulos eſſet diviſa, Nordanhunbrorum Regem, ubi ſita eſt Civitas Eboraca, accepto pretio cuidam Simoniaco Epiſcopatum vendidiſſe, pro qua culpa, à Dorobernenſi Archiepiſcopo ad Concilium vocatum fuiſſe, nolentemq; venire pro ſua inobedientia Excommunicationis ſententiam pertuliſſe. Qua communione atque conſortio, omni illarum partium Eccleſiâ, tam diu abſtinuit, quoadusque Concilio ſeipſum exhibuit, culpam dixit, quod malè geſtum eſt, correxit, de reliquo emendaturum ſe fore

ſpo-

spopondit. Quæ res, non mediocre tulit judicium Antecessores meos, super ipsam terram, illamq; Ecclesiam habuisse Primatum. Ultimum quasi robur, totiusq; causæ firmamentum, prolata sunt Antecessorum vestrorum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani, Sergii, item Gregorii, item ultimi Leonis privilegia, atque scripta quæ Dorobernensis Ecclesiæ Præsulibus, Anglorumq; Regibus, aliis atque aliis temporibus, variis de Causis sunt data, aut transmissa. Reliqua enim reliquorum tam authentica, quàm eorum exempla in ea combustione atque abolitione, quam Ecclesia nostra, ante quadriennium perpessa est, penitus sunt absumpta. *Et sub finem.* Cujus scripturæ exemplar vobis quoq;, quibus S. totius mundi Ecclesiam constat esse commissam, transmittendum curavi ut ex hoc, atque aliis quæ transmissa sunt perspicuè cognoscatis, ex more Antecessorum, quid mihi, Christiq; Ecclesiæ, quam regendam suscepi, concedere debeatis. Quod peto honestè & sine dilatione per Indultum Sedis Apostolicæ privilegium fieri, quatenus ex hoc quoque, quantùm me diligatis, evidenter possit ostendi.

VIII. An igitur Privilegium Cantuariense, illo incendio deflagraverit? an sine ullo Privilegio ipsa origine vetustateq; (*ut Historia Ecclesiæ Britannicæ loquitur fol. 26.*) Legationis Natæ auctoritatem & facultates Ecclesiæ Cantuariensis obtinuerit? An Pontifices Romani Cantuarienses Archiepiscopos, summa & propria auctoritate præditos, ut suos Legatos nominabant, ut auctoritatem, quam Jure suo obtinebant à Sede Romana sumere viderentur, *idem ibi.* ego in medio relinquo.

IX: Archiepiscoporum Cantuariensium potestatis fuisse, per totius Britanniæ & Hyberniæ Diœceses, ubicunque voluissent, absque aliqua Suffraganeorum suorum licentia, Pontificalia exercendi, Sacros Ordines conferendi, Episcopos confirmandi & consecrandi, & Concilia convocandi. Recenset *Gervas: Monach: Actor: Pontif: Cantuarien: inter Historicos Anglica-*

glicanos fol: 1669. Et tradit etiam Sanctus Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ut refert. *P. Michaël Alforb: Soc: IESU Annal. Eccleſ. Anglic. Tom: 4. ad annum 1107. fol: 222.* Et clariùs luculentiùſq; colligitur ex ipſa epiſtola ejuſdem S. Anſelmi *lib: 3. epiſt: 19.* ut noviſſimè teſtatur. *Lucas Dacher, in epiſt. 27. Ivonis Epiſcopi Carnotenſis, ad Paſchalem Summũ Pontificem fol: 360. col. 3.*

X. Sanctum Anſelmum, Archiepiſcopum Cantuarienſem, ampliſſimas facultates totô Regnô Angliæ exercuiſſe, ut etiam feſtorum celebritates indiceret, uti Eccleſiæ Anglicanæ Primas, & in rebus Sacris illius Nationis Arbiter: teſtatur verbis præinſertis *Salazar in defenſione Immacul: Concept: cap: 36. §. 6. num: 40.* Hunc Anſelmum in Concilio apud Barum, contra Græcos, proceſſionem S. Spiritûs à Deo Filio negantes, Urbanus II. Summo honore habuit. *Hunc* inquit, *pro Magiſtro teneamus, & veluti alterius orbis Apoſtolum & Patriarcham jure venerandum cenſeamus. Antiq. Brit: Eccl. fol: 25. & idem apud Baron: ad annum 1097, num: 147.*

Inſuper ejus auctoritatis fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis, qualem ajunt eſſe eum, qui Regnum Siciliæ poſſidet, ait *Henriquez lib: 10. cap: 28. num: 3.* Unde Epiſcopus Cantuarienſis poteſtatem judicialem habuit ampliſſimam judicandi, tam directè, quàm per viam querelæ. Appellationes determinandi totam Provinciam interdicto Eccleſiaſtico ſupponendi, & ab eo relaxandi uti ex relatis per Citat. *Gervas. Monach:* patet multis in locis. *Et Hiſt: Antiquit: Eccleſiæ Britanniæ fol: 28.* in quacunque ſuæ Provinciæ Diœceſi ac Parochia, etiam appellatione nulla interpoſita, ſingulas ac uniuscujuſq; caſus, querelaſq; dijudicandas poteſt ſuſcipere. Quæ juriſdictio, tam tacito omnium conſenſu, uſuq; longævo, quàm Regni inſtitutis latiſq; legibus, in Juris vigorem neceſſitatemq; jam diu tranſiit, ac ibidem. *Itaq; Suffraganei dum enervare Metropolitani ſui vires ſtuduerunt, ipſi non modo debilitati, ſed & fracti ceſſerunt, prædictæ enim conſuetudines, prærogativæ,*

tiva, & Privilegia Metropolitanæ Sedi tam firmiter infixæ hærent, ut nisi aperta lege tolli & avelli haud possint.

XI. Ac tametsi Cantuariensis tolerantia, & conniventia (quod æquabilitate sua sæpe solet) Juri suo aliquando cedat, multaq; remittat, & à Suffraganeis usurpari etiam longissimo tractu temporis sinat, acquirere tamen Jura sibi Archiepiscopalia, aut Metropolitanum excludere, vel prohibere, propter Jurisjurandi Religionem, quod Sacrati præstant, nulla præscriptione possunt: jurisdictionis enim suæ habenas, & relaxat, cùm vult, & adducit ad se, cùm necesse est. *fol: 23.* Nam quilibet consecratus Episcopus, in sua inauguratione, juramento pollicetur obedientiam Canonicam, & defensionem omnium Cantuariensis Ecclesiæ Privilegiorum, atque libertatum. *Et ibidem:* nullos in rebus dijudicandis prudentiores, aut ab omni luxu continentiores, aut in tota vita moderatiores, magisq; frugi, & in pauperes beneficos, & quotiescunque Rempublicam capessebant Regibus atque Regno utiliores, quàm Cantuarienses Archiepiscopos fuisse.

XII. *Baron: ad an: 1193. fol: 474.* Alexander Papa Concilium Turone celebravit. Cui inter alios insignes, interfuit Sanctus Thomas, Archiepiscopus Cantuariensis, anno Superiori (ut vidimus) ad eandem gerendam Cathedram, ex munere Cancellariæ assumptus, quem præter morem Alexander Papa ejusmodi excepit honorificentia: fecit enim ut omnes Cardinales occurrerent ei, extra urbem illam, præter duos tantùm, qui soliti essent ei semper assistere, idemque obtinuit, quæcunque ab ipso Pontifice petiisset, nempe suæ Ecclesiæ privilegiorum confirmationem.

Idem Baron: ad annum Christi 1117. fol: 117. Cùm Archiepiscopus Eboracensis Torstanus cogeretur ab Archiepiscopo Cantuariensi ad professionem, ex Privilegio, ejus Ecclesiæ, is Romam veniens, impetravit literas à Paschali Papa ad Regem Angliæ Henricum: audivimus Electum Eboracensem Vicarium Sapientem & strenuum, sine judicio ab E-

boracensi Ecclesia sequestratum, quòd nimirum Divinæ justitiæ & Sanctorum Patrum institutionibus adversatur. Nos quidem neque Ecclesiam Cantuariensem minui, neque Eboracensem volumus præjudicium pati, sed eam Constitutionem, quæ à Beato Gregorio, Angliæ Gentis Apostolo, inter easdem Ecclesias constituta est firmam censemus, illibatamq; servari.

XIII. Cantuariensis Archiepiscopi prærogativas *cap: 1. de officio Legati* approbavit Alexander III. quod pro Jure communi receptum, vel maximè Privilegii vicem & vim sustinet, imò superat.

Cùm non ignoretis Cantuariensem Archiepiscopum, vobis non solùm Metropolitico, sed etiam Legationis Iure praeesse: & infra. *Sane licèt idem Archiepiscopus Metropolitico Iure audire non debet causas de Episcopatibus vestris, nisi per Appellationem deferantur ad eum: Legationis tamen obtentu, universas, quae per appellationem vel querimoniam perveniunt ad suam audientiam audire potest & debet; sicut in Provincia sua vices nostras gerere comprobatur.* Et ibidem: *CASUS Archiepiscopus Cantuariensis est delegatus in Provincia sua, quidam tamen Suffraganei sui dicebant, quod causas Subditorum suorum audire non poterat, nec debebat, nisi cùm per appellationem deferuntur ad eum: & sic non permittebant Clericos ire ad Archiepiscopum per simplicem querimoniam: Archiepiscopus significavit hoc Domino Papae, super hoc scribit Suffraganeis Cantuariensibus dicens, quod ipsi ignorare non debent Archiepiscopum suum sibi praeesse Iure Metropolitico, & jure Legationis.*

Idem declaravit Innocentius IV. *cap: eodem tit: in Sexto sicut honoris* inquit, *prærogativa lætantur, sic eos authoritate volumus fungi ampliori.* Ex quo colligitur Archiepiscopum Cantuariensem omnia potuisse exceptis Papæ reservatis. *cap: Excommunicatis ext: eodem tit.* præsertim cùm Legatus Natus habeat in sua Provincia Ordinariam Jurisdictionem per expres. text. *cap: 2. de off. Leg: in 6to.* Ibi glos. speci-

ſpecialiter declarat id procedere non ſolùm in Cardinali Legato de latere, ſed & in Legato Nato prout tradunt. *Franc. Geminian: & alii DD. ibidem.*

XIV. Omnes porrò DD. qui de Legatis Apoſtolicis ſcripſerunt, Cantuarienſem Legatum Natum primariò celebrant. Neque temerè exiſtimandum Leonem X. Papam, & Concilium Lateranenſe, cum Eccleſiæ Gneſnenſi Legatio Nata concederetur de Privilegio Cantuarienſi ignoraſſe, aut rem incertam, vel non exiſtentem Archiepiſcopo Gneſnenſi ad Papam & Concilium Regio Oratori *Viro præclaro, notabili Prælato, Primati Poloniæ*, (hiſce enim encomiis à Pontifice in Bullis ornatur) fruſtra conceſſiſſe.

ARTICULUS IX.

I. ARchiepiſcopum Gneſnenſem in exercitio facultatum adinſtar Cantuarienſis, fuiſſe, Cracovienſes, Vladiſlavienſes, Poſnanienſes, Plocenſes, Suffraganeos Epiſcopos confirmaſſe, aut iiſdem Confirmationes juſtis de cauſis denegaſſe, multis probatur.

Martinus I. Epiſcopus, Simonem Gozdavam à Collegio Plocenſi Electum.

Joannes I. ſive Janicus, Stephanum gente Rolium: Raduanum gente Srzeniavium: Bernardum gente Syrocomliam, Epiſcopos Poſnanien.

Petrus III. Gedeonem Epiſcopum Cracovienſem de Domo Gryphorum, Lupum Plocenſem, & tres Poſnanienſes.

Joannes III. Epiſcopos, Plocenſem Joannem Nałęncium, Florianum Acervinum, Clementem Pierzchalium Poſnanienſem, Domaratum Grzymalium, Joannem Dolivium.

Fulco, Andream Gryphium, Petrum Brevim, Andream Vitellium Plocenſes, Boguphalum II. Roſeum Poſnanienſem.

Joannes II. Petrum Nietlich, & Thomam Plocenſes.

 Philip-

Philippus, Joannem Wiskowiec Poſnanienſem.

Jacobus II. Vislaum, gente Zabavium, & Gerhardum Acervinum, Vladislavienſes. Joannem Gierbis Nałęncium, Andream Zarembium, Poſnanienſes, Joannem Altum Prawdzicium Plocenſem: alii alios Epiſcopos confirmarunt, & conſecrarunt.

Joannes II. Petro Abdanco in favorem Phalantæ à Boleslao Majoris Poloniæ Duce promoti, Cõfirmationem diſtulit.

Jaroslæus Proviſum Apoſtolicum Bernardum Innocentij. VI. Pœnitentiarium, juſtis de cauſis non admiſit, & Janislaum Wronski à Caſimiro Magno Nominatum Epiſcopum Plocenſem inſtituit & confirmavit.

Joannes Suchywilk, Nicolao, de Kurnik Nativæ confirmationem Epiſcopus Poſnanienſis denegavit.

Ultimum Paulum Gyżycki, Epiſcopum Plocenſem Vincentius Cotus *anno 1439.* Cracoviæ conſecravit.

Vetus inſtitutum primævæ adhuc Eccleſiæ fuit ut vacantibus Epiſcopatibus, Synodum Provinciæ cogerent Metropolitani in loco Sedis vacantis vocabantur in diem Epiſcopi Provinciales, confluebat Clerus & Populus *Metropolitanorum & eorum Epiſcoporum judicio*, inquit Canon. XIII. Concilii Laodiceni, *qui circumcirca fuerunt provehebantur ad Epiſcopatus, qui plurimo tempore, tam verbo fidei, quàm rectæ converſationis exemplo probati erant.*

II. Neque Clerus ac Populus extra curam & honorem, Suffragandi Epiſcopis agebat, juxta illud. *Oportet illum & teſtimonium habere ab his qui foris ſunt.* Sed teſtimonium penes illos duntaxat, penes Epiſcopos judicium erat, ita *Baſil: ep. 62.* ad Neocæſarienſes, poſt Muſoni Epiſcopi obitum. *petere quidem veſtrum eſt, Domini verò deſignare, nempe Synodi judicio præficiendum.* Interrogabant Epiſcopi Clerum & Populum, teſtimonia de perſona deligenda exquirebant, ſed ipſa deſignatio, ſeu Electio Metropolitana una cum Synodo Provincialium Epiſcoporum integra manebat.

Sub-

Submota postmodùm leviore turba, paucos & præcipuos adhiberi mos obtinuit. Theodoreti verba sunt loquentis de Petro, qui successit Athanasio, novem annis post tempora Concilii Laodicensis: *Suffragantibus S. Ordinis, & iis, qui erant in Magistratu & dignitate constituti, omnis verò populus, acclamationibus lætitiæ signa promebat.*

A Concilii Niceni temporibus, ad solos Episcopos, promotiones Episcoporum spectare, extra controversiam fuit: Apostolorum exemplo, quorum præcipuæ partes fuerunt, in Electione Matthiæ.

Canon Quartus primæ Synodi Nicenæ, qui in secunda Nicena citatur anno 787. *Oportet eum, qui provehendus est ad Episcopatum, ab Episcopis eligi.* Et Canon 16. Antiochenus. *Si quis Episcopus in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemq; pervadat absq; integro perfectoq; Concilio, hic abiiciatur.* Perfectum verò illud Concilium est, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes. Atque juxta ejusdem Synodi Antiochenæ Canonem XIX. qui Canonem Nicenum interpretatur. *Episcopus præter sententiam Metropolitani nullatenus ordinetur.* Tandem tota authoritas penes Metropolitanum erat. Eusebius actione 13. *In unaquaq; Provincia Metropolitanus habeat potestatem, & ipse constituat omnes in Provincias Episcopos.*

III. Discessum autem à veteri more in loco Sedis vacantis Electionum, quod cum in parvo oppido Synodum habere Electiones per discordias sæpè & criminum objectiones protractas agere: sumptibus onerari incommodum erat, quandoquidem Nicenus Canon de loco Synodi nihil disertè, nec de Cleri populiq; testimonio constituisset, liberum sibi Episcopi putarunt apud Metropolitanum, Synodum pro Electionibus habere.

IV. Perseveravit hæc Metropolitana potestas discutiendi Electiones, Electos Episcopos, suos Suffraganeos confirmandi, ac juribus Pontificiis stabilita est, *cap: 1. dist: 6.* Quia diligentia *cap: Innotuit. cap: cum dilectus de elect: cap: inter*

 cor-

corporalia de transl: Episcopi cap: qua fronte de appell. quæ confirmatio, est Electionis peractæ convalidatio, & est implementum Electionis, ficut traditio rei est implementum venditionis juxta DD.

Quod jus Electionum Clerus & populus paulatim transmiserunt ad Canonicos Ecclesiarum Cathedralium quos in eo jure confirmarunt Summi Pontifices, variis Constitutionibus, quæ habentur in Decretalibus, in Clementinis inter extra vagantes. Electio Episcopi facta per Capitulum ab Archiepiscopo confirmabatur. Quodsi Capitulum non eligebat Episcopum inter tres menses, justo impedimento cessante, electio devolvebatur ad Archiepiscopum ipsum *cap: ne pro defectu, de Elect: & cap: quanquam; eodem tit. lib; 6.*

V. Archiepiscopus de jure consecrare electum Suffraganeum Episcopum debuit, vel alteri Episcopo consecrationem committere, nec alius sine tali commissione consecrare potuit. *64. & 65. dist: cap: qui in aliquo 51. dist: cap: Suffraganeis, de electione cap: si Archiepiscopus de tempore Ordinat: cap: quod: inter corporalia de translat: Episcopi cap: Sedem de off. Ordin.* Et consecratus ab alio, ex Commissione Metropolitani, debuit infra duos menses ipsum Metropolitanum visitare *text. in cap: si quis dist: 65.* Consecratio fiebat à Metropolitano, intervenientibus Comprovincialibus Episcopis, vel per literas proprias consensum exprimentibus *text: cap: cum non debet 66. dist: 65. dist.*

Atque hac antiquissima propria Metropolitanis potestate Archiepiscopos Cantuarienses, ut Episcopos Provinciæ suæ confirmarent & consecrarent præditos fuisse suprà exposuimus. Hâc ipsâ pollebant, & pacificè aliquot sæculis utebantur Archiepiscopi Gnesnenses, quàm diu Electiones Episcoporum per Capitula Cathedralia viguêre, Posteaquàm Casimirus, aliiq; secuti Poloniæ Reges Electionibus Capitularibus manum injecerunt, & Principatûs potestate ac Pontificum Romanorum tolerantia jus nominandi Episcopos sibi vendicaverunt, exhinc

fermè

fermè Metropolitanæ Gnesnen. imminui, consecrationum à quocunque Antistite libertas Romæ impetrari, jus tot sæculis prævalidum incuriâ, an injuriâ deseri, & desinere.

VI. Olim Episcopi (*Crom: Tom: 1. fol: 106.*) ex præscripto Sacrorum Canonum à Collegiis primariorum Sacerdotum, quæ Capitula Cathedralium Eccl: vulgò nominant, legebātur. Nunc Princeps, umbratili quadam illis Electione relicta aut ne relicta quidem, solus arbitratu suo edit Episcopū, & Pontifici Max: cōmendat (quod fiebat etiam à Collegiis) ut ejus Authoritate approbetur, præficiatur, & ab aliis Episcopis consecretur. Cæperunt autem sic editi, sive nominati indulgentia vel conniventiâ, quadam admitti ad Consilia publica priusquàm approbarentur à Pontifice. Non item ad functiones Sacras, & Jurisdictionem Ecclesiasticam & administrationem bonorum.

ARTICULUS X.

I. COnstantissimum ab ipsa Ecclesiæ infantia, & propagatæ Religionis Orthodoxæ coævum Jus Metropolitanum, innumeris ferè Ecclesiasticis Legibus deducitur: quod sine Metropolitani consensu & authoritate, ordinationes Episcoporum fieri vetat. Institutos in qualibet Provincia Metropolitanos, singulari prærogativa præditos, in Canonibus Apostolorum, *num*: 26. *Epistolis Clementis I. epist*: 1. *Anacleti ep*: 3. *Aniceti ep*: 1. *Stephani ep*: 2. Anacletus ep: voluit ab omnibus Episcopis Provinciæ congregatis, non alienâ certè, quam Metropolitani auctoritate, qui ab ipso, totius Provinciæ, tanquàm Caput, & Judex Princepsq; statuitur. *Singulorum Episcoporum Ordinationes celebrari.* Anacletus Ep: cit. Metropolitani præsentiam si fieri possit, sin minus, saltem auctoritatem in Episcoporum Consecrationibus haberi voluit: *Reliqui verò* inquit *Comprovinciales Episcopi, si necessè fuerit, cæteris consentientibus, à tribus jussu Archiepiscopi consecrari possunt Episcopi: sed meliùs est si ipse cum*

omnibus

omnibus eum, qui dignus eſt, elegerit, & cuncti pariter ſacraverint Pontificem. Poteſt idipſum ex Apoſtolicis Conſtitutionibus colligi *lib. 8. cap: 4.* in quibus Epiſcopus à Clero, & populo electus dicitur, coram toto populo proponi debere ab Epiſcopo, qui reliquorum Princeps eſt, id eſt Archiepiſcopus & Metropolitanus ibidem nominatur : ut nempe reſpondeat Populus, & ſigno quodam & acclamatione iterum conſentiat, eundem dignum prædicet, ibiq; Principis Epiſcoporum ſeu Archiepiſcopi partes deſcribuntur, Divini muneris in ordinatione munus implorare, aliaq; id genus exequi.

II. Concilium Nicenum Primum declarat, Confirmationem Epiſcoporum in unaquaque Provincia à Metropolitano fieri, & idem clariùs *cap: 4.* Si quis abſq; Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, eum Magna Synodus definit non eſſe Epiſcopum. Similiter decreverunt, *Laodicenum cap: 12. Antiochenum cap: 19. Sardicenſe cap 6. Carthaginenſe II. cap: 12. Chalcedonenſe cap: 25. & c. 2. Arelatenſe II. cap: 5. Aurelianenſe cap: 1. &c.*

Concilium Regienſe Armentarii in Ebredunenſem Epiſcopum ordinationem irritam declaravit, *quod abſq; trium Epiſcoporum præſentia, abſq; Comprovincialium literis, ſine Metropolitani auctoritate celebrata eſſet.*

Innocentius I. *epiſt: 2. cap: 1.* Extra ſcientiam Metropolitani, Epiſcopum nullus audeat ordinare. Leo I. Privilegia Metropolitanorum ſervanda putavit. Ideoq; Epiſtola ad Anaſtaſium Teſſalonicenſem. Igitur *inquit,* ſecundùm SS. Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ conſecratos, Metropolitanos ſingularum Provinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtrorum Fraternitatis tuæ cura prætenditur, Jus traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus, ità ut à Regulis præſtitutis, nulla, aut negligentia, aut præſumptione diſcedant.

Hilarius Leonis in Pontificatu Succeſſor *epiſt: 2. cap: 1.* expreſſiùs id confirmat. Hoc *inquit,* primum juxta eorundem

dem Patrum Regulas, volumus custodiri, ut nullus præter notitiam, atque consensum Fratris Aciani Metropolitani, aliquatenus consecretur Antistes, quia hoc & vetus ordo tenuit, & trecentorum decem & octo Patrum definivit authoritas, cui quisquis obviam tetenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum præceptoribus resultat. Denique eodem sæculo Gelasius, apud Gratianum invehitur, qui Metropolitanorum, vel Provincialium jura in ordinationibus turbarent, Ecclesiarumq; Privilegia violarent. Ejusdem moris & Juris Metropolitani acerrimi assertores & vindices, Joannes III. Epistola unica. Gregorius Magnus multis epistolis, & alii Pontifices pro Metropolitanorum Jure ordinandi Episcopos senserunt, & scripserunt.

III. A tempore Bonifacii VIII. quo invectæ sunt in Ecclesiam Sacerdotiorum reservationes, tùm Clementis IV. & sequentium Pontificum, qui cùm Avenione sederent, Galliæ Episcoporum ad Romanam Curiam plurimos evocârunt, jus ordinandi Metropolitis passim auferri cæpit, adeô; ut tempore Concilij Basiliensis, nullum fuisse videretur, quippe quod confirmationes Episcoporum à Romanis Pontificibus probârit, & ad ipsum ob controversiam de Eugenii IV. Summo Pontificatu Plocensis Episcopi confirmatio, authore Crantio in Metropolim, quæ antiquitùs ad Gnesnensem Sedem spectabat, delata sit.

IV. Eà causâ querimoniam & murmur Ecclesiarum olim fuisse profitetur coram Pontifice Eugenio Bernardus *de Consider: lib: 3. ep: 4.* quod indignè ferrent ordinem antiquitùs statutum turbari *truncari* inquit ille, *reclamant ac demembrari: vel nullæ, vel paucæ admodùm sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus:* Unde & subdit *bonane species hæc? nimirum si excusari queat, vel opus.*

V. Equidem non dubitatur, quin juxta definitionem Sy-

nodi Tridentinæ *Seſſ: 23: cap: 8. Epiſcopi, qui authoritate Romani Pontificis aſſumuntur ſint veri & legitimi Epiſcopi.* Norûnt omnes à Sede Petri Epiſcopatûs originem ad nos dimanaſſe, ſcimus Metropolitanorum authoritatem, ab ipſa Pontificia promanare, antiquos tamen Canones, quorum Sacroſancta eſt authoritas Archiepiſcoporum neglectu aboleri, plerique indolent. Confirmationem Epiſcoporum, ab ipſo Summo Pontifice, qui cùm nulli ſubditus ſit, poteſt audentiùs nominationes indignorum reprobare, ſapientiores ac prudentiores ſtatuere, neceſſariam hocce tempore cogitant, ſed nihil obeſſe putant, ſi eum, in quem ipſe inquiſierit ad Metropolitanum & Provinciæ Epiſcopos remittat, renovato etiam examine & repetita inquiſitione conſecrandum, Anteceſſorum ſcilicet ſuorum exemplo, qui non contenti propria inquiſitione, ad Metropolitanum Epiſcopum conſecrandum iterùm rejiciebant, quem etiam de iis, quæ ad ipſos delata fuerant nonnunquàm monebant, unde & Hormiſda Papa *ep: 25.* rectè monuit: *Faciliùs Ordinationis vitia evitari, ſi ſua Metropolitanis Iura ſerventur.* Neque putant decreſcere quidquam honoris Summæ Sedi, ſi Metropolitanis ab ipſa conſtitutis accreſcat: Quin imò ſi quid honoris ipſis impenditur, id totum in auctores Metropoliticæ dignitatis Summos Pontifices recidere, illos ſuam Majeſtatem extollere, qui ſibi ſubditam magni fecerint, multùm intereſſe, ut antiquitati debita firmetur reverentia, qua Novatorum in ejus quotidie præjudicium aliquid molientium temeritas retundatur, Sedis Apoſtolicæ Summis Præſulibus utiliſſimum, Prædeceſſores ſuos imitari, qui nihil antiquiùs duxerunt, quàm nota ex priſca conſuetudine Eccleſiarum Jura intemerata ſervare, Statuta Patrùm aſſerere, conceſſa à Prædeceſſoribus Privilegia tueri. Copiosè hæc & eruditè *Franciſcus Hallier Doctor Pariſienſis libr: de Sacris Elect: & Ordinat: cap: 4. tit: quibus jus ſit ordinandi Epiſcopos.* Ego manum de Tabula.

ARTI-

ARTICULUS XI.

Alia documenta authoritatis, & Iurisdictionis Gnesnensis producimus.

PEtrus II. Archiepiſcopus ob necem Vernerii Epiſcopi Plocenſis.

Joannes III. ob captum Pulkoſſium, Epiſcopum Cracovienſem.

Fulco, ob Czaplam Scholaſticum Plocenſem ſubmerſum. Item ob Thomæ Epiſcopo Vratislavienſi, Boguslao Præpoſito, & aliis manus injectas.

Jacobus II. ob Bona & oppida Epiſcopo Vratislavienſi adempta & direpta Regnantibus toti Provinciæ Sacris interdixit.

Jaroslaus in Eccleſia Cathedrali Cracovienſi, in Coronatione Ludovici, Capitulum Cracovienſe, & Vicarios, quod oblationes ſibi Celebranti debitas uſurparent, & raperent, excommunicavit. Quod Decretum Archiepiſcopale, per Delegatum Summi Pontificis Gregorii, Apoſtolica Authoritate confirmatum fuit *anno 1375.*

Idem Jaroslaus, Metropolitani & Primatiali Jure (Epiſcopo Cracovienſi *in Statut: Reg: tit: Decimæ,* fatente) Eccleſiam Cracovienſem viſitavit.

Idem Semovitum Ducem Maſoviorum Eccleſiaſtico interdicto perculit, pro eo, quod Petraſius Chriſtini Palatini Plocenſis Filius, bona ejus Eccleſiaſtica in Maſovia, vel certè connivente Semovito latrocinio infeſtaſſet.

Joannes de Łaſco, vigore Legationis & exemplo facultatum Archiepiſcopi Cantuarienſis, feſtum Immaculatæ Conceptionis inſtituit. Epiſcopum Vilnenſem viſitavit, multoſq; in ejus Diœceſi errores deprehenſos correxit, Cauſas fori contentioſi in territoriis Provinciæ ſuæ ordinavit, Suffraganeos Epiſcopos in Eccclesia Metropolitana conſecrari voluit.

Joannes Węzyk, Biblia Polonica, Gedani ab Hæreticis impreſſa, & Vladislao IV. pomposè dedicata, è Regno Poloniæ proſcripſit, Edicto digniſſimo, quod ad publicam, & poſteritatis notitiam hic inſeritur.

Ioannes Wężyk, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus Princeps.

Clero Populoq; Diœceſis & Provinciæ Noſtræ Regni Poloniæ & M. D. L. Salutem in Domino ſempiternam.

SAlvator & DEUS noſter CHRISTUS JESUS fundans, & conſtituens Eccleſiam ſuam, cum qua uſque ad conſummationem ſæculi ſe futurum promiſit: præter Sacramenta novæ Legis, & gubernationem Spiritus Sancti, per Principem Apoſtolorum Petrum, (pro cujus fide, ut non deficeret, oravit) & illius ſucceſſores, Sacram quoq; Scripturam novi & veteris Teſtamenti, tanquam doctrinæ cæleſtis fontem, & cæleſte depoſitum cuſtodiendum, ſervandumq; in ea reliquit. Cujus quidem cæleſtis depoſiti, tanta ſemper in Eccleſia Catholica fuit Majeſtas & reverentia, ut illius cuſtodia nonniſi ad Epiſcopos, tanquàm ad Apoſtolorum Succeſſores, & Eccleſiæ Paſtores pertinuerit, neminiq; præter Eccleſiæ Authoritatem licuerit Sacram Scripturam interpretari, vel ex uno ſermone in alium transferre, ſi enim in veteri Teſtamento, Ozias Rex leprâ à DEO percuſſus fuit, quod thuris adolendi miniſterium ſibi uſurpaſset, eidemq; Azarias

Sacerdos, unà cum 80. viris fortissimis in faciem restitit, dixitq;: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Multò magis in novo Testamento, in quo Salvator Apostolis suis, & eorum successoribus Evangelium prædicare & docere omnes gentes mandavit, illisq; solis nosse mysteria Regni Dei, cæteris verò in parabolis, concessit; scripturæ sacræ custodia & interpretatio ad Ecclesiam ejusq; Pastores & Episcopos, ex ipsa Christi institutione, Apostolorumq; doctrina & traditione pertinere dignoscitur, ut merito Paulus Apostolus Doctor Gentium, Timotheum Episcopum, & in ipso omnium gentium futuros Episcopos, monuerit, ut depositum, Sacram nimirum Scripturam custodirent, devitantes profanas vocum novitates & oppositiones, falsi nominis scientiæ. Cùmq; lex depositi sit, & idem numero reddatur, ut si aurum accepisti, aurum reddas, ne plumbum, ne æramenta supponas, providendum est Episcopis, ut Sacrum hoc depositum Scripturæ Sacræ, & legis Divinæ, argentum & aurum igne examinatum, imò super aurum, & lapidem pretiosum multò pretiosiùs illibatum custodiant, servent, & præstent, exemploq; S. Basilii Episcopi, qui Præfecto Valentis Imper: Ariani sibi suadenti, ut Imperatori in nonnullis cederet, respondit ipsi quoque pari libertate & animo iis, qui Scripturæ interpretandi potestatem sibi arrogant, respondeant: qui Divinis enutriti sunt eloquiis, corrumpi de Divinis dogmatibus nec ullam Syllabam patiuntur, sed pro iis, si ità oportet omnes mortis species amplectuntur. Intellexit nimirum dudum humani generis hostis, nulla re facilius depravationem Scripturæ Sacræ, Hæresumque incrementa se consequi posse, quàm si libertatem induceret cuivis ex suo sensu Sacram Scripturam vel interpretandi, vel in aliam linguam sermonemvè transferendi, ac propterea à secunda ferè ætate Ecclesiæ, anno nimirum centesimo, vigesimo, quinto, post Ascensionem Christi in cælum, Aquilam Vi-

rum excelsò ingeniò, ac propterea elato animo excitaverat, qui Bibliorum ex Hebræo, in Græcam linguam translationem, quam Septuaginta Interpretum vocant, annis fermè trecentis, ante natum Salvatorem, factam, animadvertens eam Christum verum Meſſiam Patribus promiſſum confirmare, in dubium vocaret, cujus perverſum exemplum, cùm poſtea conſequentibus temporibus, plures ſecuti fuiſſent, paſſimq́; omnes licere ſibi exiſtimarent, ex proprio ſenſu, Scripturam Sacram, ex una lingua, in aliam transferre, eoq́; jam ventum eſſet, ut in re tam Sacra & certa, nulla penè eſſet certitudo, graviſſima Sacrorum Canonum, & Oecumenicorum Conciliorum, ac poſtremò S. Concil: Trid: cui etiam Regni Noſtri Oratores interfuerunt, authoritate proviſum fuit; veterem & vulgarem, ac à tot Sæculis in Eccleſia receptam, & approbatam Bibliorum ex Hebræa, & Græca, in Latinam linguam, translationem, præ cæteris, pro Sacra, & Canonica habendam, & recipiendam, eamq́; in rem, contra Typographos, qui ſine licentia Superiorum Eccleſiaſticorum, Scripturæ Sacros libros imprimere, aut venales habere auderent, pœna anathematis & pecuniæ, dudum in Concilio Lateranenſi ſtatuta, renovata fuit. Quæ cùm ita ſe habeant, miramur, & graviter dolemus, Biblia Sacra ſine licentia, & approbatione Magiſtratûs Noſtri Eccleſiaſtici, in linguam Polonicam verſa Gedani nuper anno 1633. in officina Andreæ Hunofeldi impreſſa palam circumferri, in quarum verſione, & libri aliquot Sacræ Scripturæ, ex induſtria ſunt omiſſi, illi præſertim, ex quibus adverſa Orthodoxæ Fidei doctrina convellitur, atque ipſa translatio Polonici idiomatis, cum vulgata latina collata, multis in locis depravata cernitur, ut ex collatione Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ lectionis, piorum & Doctorum virorum, quibus id negotii dederamus, facta, deprehenſum fuit, ut iterum mirari ſatis & dolere non poſſimus, ſuperattendentes, ut ſe nominant Evangelicorum in Majori Polonia, eò ſuperbiæ & audaciæ progreſſos, ut veteris & vulgatæ latinæ Bibliorum

translationis, sibi censuram assumere ausi fuerint, vel certè plus sapere, meliùs linguam Hebræam & Græcam scire, vetustiores & meliores Bibliorum Hebræos & Græcos codices habere, quàm Sancti Patres, qui tot Sæculis præcesserunt, quàm Luminaria Ecclesiæ Hieronymus, Augustinus, Gregorius, vel alii dictas linguas scire, vel certiores codices Bibliorum habere potuerunt, supraque ipsam Ecclesiam, cujus tanta fuit apud S. Augustinum fides, ut Evangelio non crederet, nisi eum Ecclesiæ commoneret authoritas, sapere, intelligere præsumant. Qui sanè quod in subsidium sui erroris, vel arrogantiæ sumunt, se non novam, sed veterem ut asserunt Brestensem Bibliorum editionem & translationem iterum edidisse, & recudisse, scire & meminisse deberent Brestensia illa Biblia, & à laudatissimis illius temporis Decessoribus Nostris Archiepiscopis Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ damnata & reprobata fuisse, & Serenissimo Magnæ memoriæ Regi SIGISMUNDO AUGUSTO, cui inscio dedicabantur, vel potiùs obtrudebantur, ita displicuisse, ut etiam Diplomate suo, anno 1565. 8. Octobris Vilnæ dato, summo affectu professus fuerit se ad defendendam contra Hæreses Religionem Catholicam, Religiosum Ordinem Patrum Societatis JESU, in Regnum Poloniæ recepisse. Quorum postea operâ curâq; contra hæc Brestensia Biblia, edita, fuêre authoritate Illustrissimi laudatissimæ memoriæ Stanislai Karnkowski, Decessoris Nostri, Biblia, ex vulgata latina translatione, in Polonicam linguam translata, piæ memoriæ Jacobi Wujek, ejusdem Societatis Theologi vocata. Neque est, quod superattendentis Evangelicorum, vel quisquis ille sit, authoritatem aliquam Bibliis Gedanensibus additam existimet, quod dedicata sint Sacræ R. M. Domino Nostro Clementissimo, cùm sua Majestas, primùm quidem Illustrissimo Domino Episcopo Vilnensi, cùm is, pro sua Pastorali sollicitudine & vigilantia de eorundem Bibliorum dedicatione suæ Majestati significasset, deinde verò mihi quoque palam & disertis

verbis

verbis reſcripſerit, diſerteq; pro Catholici Principis officio profeſſus fuerit, eam Bibliorum dedicationem ſe inſcio contigiſſe: ac propterea nihil inde authoritatis iiſdem Bibliis accedere poſſe, ſcire ſe & profiteri cenſuram & editionem Bibliorum, ſolius Eccleſiæ Romanæ & Eccleſiaſtici Magiſtratûs eſſe poteſtatis, ſe in Eccleſia Catholica natum, in eadem quoque & vivere & mori velle. Quocirca laudatiſſimis majorum & Deceſſorum Noſtrorum Epiſcoporum Regni & Magni Ducatûs Lithuaniæ veſtigiis inſiſtendo, qui olim Regnante Sereniſſimo Sigiſmundo Auguſto, magnæ memoriæ Rege Breſtenſium Bibliorum editionem, & translationem damnarunt, & anathematizarûnt. Nos quoque maturo eâ de re habito cum Illuſtriſs: DD. & Fratribus obſervand: Archiepiſcopo Leopolienſi, & Epiſcopis Regni & M. D. Lithuaniæ, ac multorum virorum doctorum, & piorum Conſilio, de eorum quoque aſſenſu, pro debito Paſtoralis officii noſtri providentes, ne ea, quæ Sacris Canonibus, & Fidei Catholicæ adverſantur, ſilentiô approbare, vel ad ea connivere, occaſionemq; errandi ovibus noſtris præbere videamur, authoritate noſtra Metropolitana, & Primatiali, ac à Sacro Concil: Tridentino nobis conceſſa, in Dei nomine omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, vtriuſque ſexûs, & cujuſvis conditionis Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithuaniæ incolis, & in virtute S. obedientiæ, ac ſub Excommunicationis pæna, ipſo facto incurrenda, Sediq; Apoſtolicæ in Cathalogo Librorum prohibitorum, & Bulla Cænæ Domini reſervata, diſtrictè prohibemus, ne librum hunc Bibliorum Gedani, in officina Andreæ Hunefeldi, vel alibi lingua noſtra impreſſum, vel alibi recuſum, legere, retinere, vendere, ſeu cuipiam donare audeant, ſed ſi quis ea habuerit Parocho, Parochus verò Epiſcopo ſuo, quamprimùm reddere teneatur. Bibliopolis verò & Typographis omnibus, ſub eadem anathematis pæna, arbitrio Illuſtriſſimorum Epiſcoporum, quos, ut præſentes Literas noſtras, per Parochias publicari, ſine mora curent, fra-

ternè

ternè rogamus, decernendis, mandamus, ne prædicta Biblia vendere, sive de novo imprimere quovis modo præsumant, sciantq; Bibliopolæ & Typographi, se quo ad impressionẽ, venditionem & invectionẽ librorũ Illustrissimorũ Dominorũ Loci Ordinariorum Jurisdictioni antiquitùs esse subjectos, secundùm rescriptum Serenissimi olim Sigismundi Augusti Regis, Constitutionibus Provincialibus lib: 5. insertum, cæterum hoc prædicto Edicto Nostro prohibitorio, Bibliorum Gedanensium, non intendimus, pacem inter Dissidentes de Religione turbare, cum aliud sit dissidium Religionis, pacis publicæ, & tolerandorum scandalorum causa tolerare, & permittere: aliud verò Dissidentes ne in nostram potestatem Ecclesiasticam se ingerant, prohibere. In cujus rei fidem, præsentes manu Nostra subscriptas, Sigillo quoque Nostro, consignari jussimus. Datum Lovicii, die xxviij. Mense April. MDCLXXVII

Locus ✝ Sigilli.

BREVE APOSTOLICUM.

à tergo.

VENERABILI FRATRI IOANNI ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

Intùs verò.

URBANUS PAPA VIII.

VEnerabilis Frater, Salutem & benedictionem Apostolicam. Quòd Fraternitas Tua, Biblia Sacra, in Polonicam linguam ab Hæreticis conversa, & anno M.DC.XXXIII. in Andreæ Hunefeldi Officina Gedani impressa, edicto vetuit, rem præstitit sedulo & constanti animarum Pastore dignissimam, & nostræ, ac bonorum opinioni, quæ jam pridem

apud omnes percrebuit, egregiè ſatisfecit. Gaudemus eam ob rem, pluribus nominibus, inter quæ illud poſtremum non eſt, quòd cæteri Epiſcopi, quibus aſſidua, cum Catholicæ fidei hoſtibus eſt concertatio, tam præclaro Fraternitatis Tuæ exemplo excitati atque erecti, quæ muneris ſui erunt fidentiùs ac fortiùs adverſus illos obire, non pertimeſcent. Ità Divina Clementia Tuos, atque eorum conatus, ad felicem exitum perducat, & hoc promeritum, uberi ſuorum donorũ collatione, remuneretur. Fraternitati Tuæ peramanter benedicimus. Datum *Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 29. Iulij M. DC. XXXIV. Anno Pontificatûs Noſtri XI.*

Franciſcus Herrera.

I. IDem Joannes Węzyk, Sancta-Crucio Cardinale, Matthias Łubienski, Philonardo, Nuntiis Apoſtolicis è Regno diſcedentibus, Legationis Natæ munus & Juriſdictionem exercuêre.

II. Hac occaſione de Internuntio annotamus, quem *in anno M. DC. LXX. VI.* Nuntius Apoſtolicus Mareſchottus, (qui nunc Cardinalis) Varſaviâ excedens, nunquàm auditâ, neque uſitatâ in hoc Regno praxi, ſubſtituere attentavit, Privatas ejus rei, tam offenſiones Mareſchotti, quàm tolerantiæ Prazmovii Archiepiſcopi, illo temporis cauſas, invidiosè referre omitto, ſed Rex MICHAEL Internuntium obtruſum agnoſcere recuſavit, acceſſum petenti negavit, Advocatis, ne coram eo Cauſas tractarent, per Mareſchalcum Curiæ Joannem Clementem Branicium ſeverè inhibuit, Epiſcopi Varſaviæ tunc præſentes, primario motore & ſcriptore epiſtolæ Epiſcopo Cracovienſi ad Summum Pontificem, publicô Collegii nomine ſcripſimus, & Internuntio reclamavimus. Primas ipſe Nicolaus Prazmowski recollectior, & Epiſcopos contra Internuntium idem ſentientes animadvertens, facti ſui pænitentiâ ductus, literas à Collegio Epiſcopali & Comitiis Generalibus Regni ad ſuam Sanctitatem datas, ſubſcripſit.

III.

III. Receptum more eſt, ut Nuntii Apoſtolici Regnum Poloniæ ingreſſi, antequàm facultates ſuas explicent, & Juriſdictionem in Cauſis Eccleſiaſticis exercere incipiant, præprimis Breve Pontificium Legationis ſuæ Regiæ Majeſtati, & ſeorſum ſpecialia Brevia Regni Miniſtris & Senatoribus Eccleſiaſticis & Secularibus ad latus Regium reſidentibus præſentent, atque ſic decenter obtineant facultatem à Rege aperiendi Tribunalis Nunciaturæ. Quæ conſuetudo jam amitteretur, ſi Juriſdictio ſucceſſiva, nec interpolata à Nuntio, ad Internuntium, ab Internuntio, ad Nuntium, velut per manus traderetur & continuaretur, ſine licentia, & cum derogatione Regiæ dignitatis. Indecorum etiam ac magni præjudicii Epiſcopis & Prælatis Poloniæ viſum, à laicis perſonis, quales Sarteſchius, & Grapius, prætenſi Internuntii erant, eorumq́; ſub nomine, abſente Nuntio Apoſtolico Epiſcopali charactere venerando judicari: Laicos Vicarios Epiſcoporum non poſſe creari, nec eis Cauſas Spirituales committi debere. *Piaſec: in Praxi lib: de Iudiciis cap: 4. num: 7.*

IV. Neque prævalent allegata exempla, Internuntios alibi decedentibus Nunciis, ſtatione ſua liberè relinqui. Diverſi enim Aularum gentiumq́; mores ſunt, diverſa motiva Principum & ſtatuum, ut hæc & illa permittant, alia prohibeant: Nuntiaturæ aliter ſe habent in Hiſpania, aliter in Gallia, in Germania, in Aula Cæſarea, Polonia, Sabaudia, Venetiis, Florentiæ, diverſis prærogativis, majoribus ſeu minoribus, prout uſus fert fruuntur.

Ferebatur inſuper vox poſſe Internuntium in Polonia introduci, ſuffecturum loco Nuntii, ſumptibus Cameræ Apoſtolicæ diminutis.

Poſt ereptum è vivis Prazmovium & mox Czartoriſcium Archiepiſcopos, cùm Nuntius Bonviſius è regno migrans Internuntium ſtabiliret, JOANNES III. feliciter regnans, exemplo Michaëlis authoritatem Regiam, per Supremum Regni Theſaurarium Andream Morſtinum oppoſuit. Andreas Ol-

ſzowski, Archiepiſcopus ad univerſum Provinciæ ſuæ Clerum Editum publicavit, tenoris talis.

ANDREAS OLSZOWSKI, *DEI & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus Regni Poloniæ & M. D. Lithuaniæ Primas, Primuſq; Princeps.*

Univerſo Clero Seculari & Regulari per & intra Regnum Poloniæ, & M. D. L. Fratribus Chariſſ. & obſervandis: Nobis in Chriſto dilectis, Salutem in Domino.

INnotuiſſe haud dubiè exiſtimamus Fraternitatibus Veſtris, quod etiam Nos per præſentes innoteſcere facimus Illuſtr: & Reverendiſſimum Dominum Franciſcum Bonviſium Archiepiſcopum Teſſalonicenſem, Nuntium hactenus cum facultatibus de latere Apoſtolicum, acceptis S. D. N. Clementis X. Papæ mandatis, Viennam ſe conferre, atque jam Varſaviâ, die ſecunda Menſis currentis profectum, Regni Poloniæ fines hiſce diebus exceſſurum, vel exceſſiſſe. Quo caſu abſentiæ memorati Nuntii Apoſtolici, cùm ad Nos Archiepiſcopum Gneſnenſem, Legatum Natum, vigore Jurium Noſtrorum, & antiqui ac continui, pacificiq; usûs jurisdicendi authoritas, & juriſdictionis in hac Provincia Apoſtolicæ exercitium ſpectet, conveniens duximus Fraternitatibus Veſtris intimare, Nos ea, quæ muneris Noſtri ſunt, & quæ præclaræ memoriæ Anteceſſores Noſtri Archiepiſcopi Gneſnenſes, authoritate, & Jure Legationis Natæ exercuerunt, pariter e-

xercere velle ac debere: præmiſſis itaque ad Illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Epiſcopos Confratres Noſtros, atque ad Sedium vacantium Adminiſtratores, ſeorſivis literis Noſtris, Fraternitates, præſenti Edicto Noſtro hortandas duximus, prout hortamur, ut in omnibus judicialibus Cauſis, controverſiis, & actionibus ſuis, quocunque modo vertentibus, etiam in Nunciatura inchoatis & pendentibus, ad Nos & Tribunal Noſtrum recurſum habeant, quibus juſtitiam adminiſtrare, in loco reſidentiæ Noſtræ parati & obligati erimus. Non obſtante exemplo, quod in ſequelam minimè trahi poteſt, tolerantiæ unius duntaxat Archiepiſcopi Gneſnenſis, piæ memoriæ Nicolai Prazmowski, ex certis ejus privatis motivis, quandoquidem inaudito ad id tempus in Polonia Internuntii nomine & tentamento, non ſolùm voce reclamavimus, ſed etiam publica epiſtola, ad S. D. N. Clementis X. à Collegio Epiſcoporum in Comitiis Varſavienſibus congregatorum ſcripta, quæ ab ipſomet præmemorato Nicolao Archiepiſcopo cum aliis ſubſcripta fuit, de non inferendo præjudicio, humillimè ſupplicavimus. Pluribus rationes contra novitatem Internuntii, ex quibus, per dignitatem S. R. Majeſtatis, per Statum Regni, Ordiniſq; Noſtri Epiſcopalis, ac Eccleſiaſtici, per antiquiſſimam Archiepiſcopi Gneſnenſis Legati Nati, prærogativam, practicari in Polonia non poteſt, in ſcripto Romam miſimus, & multis communicavimus. In quorum fidem, ac robur, præſentes manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillo Noſtro communiri & publicari mandavimus. Datum Skiernieviis.

Andreas Archiepiſcopus Gneſnenſis.

De Archiepiſcopi Gneſnenſis Primatu.

CAPUT III.

I PRimatus Nomen, magnæ & antiquæ dignationis, ab ipſo Filio DEI ſplendidiſſime inſignitum; *qui caput corporis Eccleſiæ ipſe Primatum tenens.* Ad Colos 1. *In omni Populo, & in omni gente Primatum habuit.* Eccleſiaſtic: cap: 25.

II. In Romana vetere Monarchia Primates erant, Primarii Magiſtratus, in Provinciis. *Primates legis ſeculi, prima judiciaria poteſtas, ad quos qui per reliquas Civitates commorabantur, quando eis neceſſe erant, qui ad Aulam Imperatoris, vel Regum confugere non poterant: vel quibus permiſſum non erat, confugiebant pro oppreſſionibus vel injuſtitiis ſuis, ipſoſq; appellabant, quoties opus erat: ſicut in lege eorum præceptum erat.* text: in c. Provinciæ n. 1. diſt: c. 99.

III. In Chriſtiano Orbe, & Regnis Catholicis, ab inventa ſtatim verâ Religione, Primates inſtituebantur. Ita B Petrus, & ejus Succeſſores, in omnibus Provinciis, ſeu Regnis, in quibus Chriſti fides promulgata, & acceptata fuit, Patriarchas, ſeu Primates poſuerunt, qui Epiſcopis, & Archiepiſcopis præeſſent. *cap: Urbes diſt: 80* Ubi ſic Lucius Papa *Urbes* inquit *& loca, in quibus Primates præſidere debent, non à modernis, ſed multis ante Adventum Chriſti temporibus ſtatutæ ſunt: quorum Primates, Gentiles etiam pro majoribus negotiis appellabant. In ipſis vero Urbibus poſt Adventum Chriſti, Apoſtoli & eorum Succeſſores, Patriarchas & Primates poſuerunt ad quos Epiſcoporum negotia* (ſalvâ tamen in omnibus Apoſtolicâ authoritate) *& majores cauſæ poſt Apoſtolicam Sedem ſunt referendæ*, & in cap: 1. 80. diſt: in c. in illis 80. diſt: In verbis. *In illis Civitatibus, in quibus olim*

apud

apud Ethnicos primi flamines eorum, atq; primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates vel Patriarchas B. Petrus poni præcepit, qui reliquorum Causas Episcoporum & majora negotia in fide agitarent.

Quoties gens nova aliqua ad fidem convertitur, in tanta multitudine, ut opus habeat Primate seu Patriarcha, ille de novo creandus est, ut jubet *text: in cap: Nulli dist: 99.* Ea de causa in Æthiopia creatus fuit novus Patriarcha Nonnius Barretus, & eo demortuo Andreas de Oviedo, uterq; Societatis JESU & alii.

Primatibus autem seu Patriarchis, post Romanum Pontificem & Cardinales, quibus Universalis Ecclesiæ administratio ex officio incumbit, majores & ampliores Sedes, tanquàm Capita Provinciarum, pro gubernatione sunt assignatæ. *text: in cap: cum sequentibus 80. dist: & in cap: 1 99. dist.* Et semper in primariis Urbibus, & Regio splendore claris collocatæ fuerunt, *Azor lib: 3. c. 36. Barbos. tit. 1. c. 5. & plurimi DD.*

V. De Patriarchis & Primatibus, an eorum dignitates nomine tantùm diversæ sint, vel etiam re, quærunt DD. sed plures sentiunt, licet duo hæc nomina diversa sint, re tamen idem esse officium, eandemq; potestatem habere, juxta c. 1. 99. dist: in verbis. *Primates & Patriarchæ diversorum sunt nominum, sed ejusdem officii &c.* & ita promiscuè aliquando appellantur Patriarchæ, aliquando Primates. cap: Nunc verò juncta subscriptione, ibi *Bituriensi Archiepiscopo,* & ibi *Galberio Patriarchæ 9. q. 3.*

Apud Latinos frequentiùs dicuntur Primates, qui apud Græcos vocantur Patriarchæ: idem tamen sunt. *Azor: par: 2. lib: 3 c. 35.* Primates Patres sunt Archiepiscoporum & Episcoporum *& id. ib. cap: 33*

Metropolitanus Primatem consulit. *cap: de Concil: d. 18.* & ob Metropolitani negligentiam, ad Primatem jure devolutionis causa defertur. *c. Cùm simus 9. q. 3.* Cùm aliquis de Me-

de Metropolitano conqueritur, tunc Primatis est judicare *c. si Clericus 11. q. 1.*

VI. Primatiali nomine & dignitate censetur in Germania Archiepiscopus Magdeburgẽsis, qui authoritate in Imperio, antequàm Electores crearentur tam Ecclesiasticâ, quàm Politicâ præeminebat. Nunc jam Salsburgensis. In Hispania, Toletanus. In Gallia Bituriensis, in Anglia Cantuariensis, in Ungaria Strigoniensis, in Scotia S. Andreæ, in Suecia, Upsalensis, in Polonia Gnesnensis Primas, sine controversia, ut de eo loquuntur *Sebastianus Cæsar, disp: 4. § 3. Asor.*

VII. Originem Primatûs Poloniæ Długossus, & Cromerus tribuunt Nicolao Archiepiscopo Gnesnensi, in Concilio Constantiensi. *anno 1416.* Sed Cromerus Długossum auctorem secutus, errorem suum agnovit, & in eundem Długossum rejecit: cùm longè ante Nicolaum, & Concilium Constantiense, Archiepiscopi Gnesnenses Primates fuerint, & Primatiali Jure Reges coronaverint; quod ipsemet Długossus *histor. Polon. par: 2. fol: 176.* asserit his verbis: *Statim in primæva fundatione Archiepiscopatuum Gnesnensis, & Cracoviensis & Septem Episcopatuum Gnesnensi Ecclesiæ à Miecislao tributum, ut superior esset & apud illam decus Primatiale consisteret.*

Clariùs idem testatus, Statutum Casimiri Magni, *anno 1369.* Constantiensi Concilio antiquitùs tit: Decimæ fol. 132. ib. *Iaroslaus Gnesnensis Archiepiscopus Boguria dictus, auctoritate Metropolitica ac Primatiali visitans Diœcesim Cracoviensem.* Et Stanislaus Carncovius *pag: 15.* Cum Republ: simul Christiana Poloniæ, & è visceribus ejus natus, Archiepiscopi Primatûs, perpetuò Jus suum, in Interregnis præsertim obtinuit.

VIII. Valuit viguitq; hæc inclyta dignitas Primatûs Gnesnensis Principum rescriptis ornata, legibus corroborata, omnium consensu & reverentiâ stabilita, & inconcussa, nec ea quisquàm (verbis Stanislai Carncovii de Primatu *pag: 15.*) ullo unquàm tempore convellere vel debilitare tentavit, licet essent nonnunquàm Archiepiscopi non usquequaque Sena-

tui, vel populo, vel Ordinibus grati, donec exorta Lutherana hæreſis, per multos ex Senatu & Nobilitate in pravum & turbidum detorquens, ſub Interregno Auguſti Regis injecit illis audaciam, ut Archiepiſcopum Gneſnenſem Jacobum Uchanſcium, magno conatu impeterent.

IX. Arripuere anſam Firleii, Radivili, Gorcani, (Gorcanorum teſte *Piaſec: fol: 67* tantæ opes erant, quod licèt plures locupletiſſimi in Regno Poloniæ, qui Legiones alere poſſent numerarentur, nullus tamen eorum opulentiam æquavit) aliiq; Proceres Acatholici, major & validior in Senatu pars, quod Archiepiſcopus, in Edicto quodam ſub Interregno, imperioſo uſus fuiſſet verbo *Mandamus.* Hinc maxima animorum contentione atque odio, Jus Primatis oppugnari fæduſq; inter Diſſentientes de Religione agitari cæptum Primatem eſſe Archiepiſcopum Cleri potiùs quàm Regni, vel Senatûs clamitabant. Imprimiſq; Caſimiri Decretum jactabant, quô ne quiſquam Epiſcopus ſine permiſſu Regio aut Senatus Legationis Pontificiæ munus, aut dignitatem Cardinalitiam acciperet, cautum eſſet, non ſine magnis cauſis â Majoribus vetitum id fuiſſe, ne in æquo omnium Jure, Regiam vel Sanctiorem, majoremve Regiâ poteſtatem quis uſurparet? Obtendebant periculum libertati & Statui, ne Primas Primus Princeps, & Interrex omne Jus Regium, per Interregni tempus, ad ſe traduceret; quod ſi fieret, Regia authoritate Senatoribus ipſum imperaturum, depoſiturum poteſtatem quando liberet, daturum Regem quem vellet, multaque alia fortaſſis abſurdiora, quæ more ingenii humani, libido dominandi paulatim irrepens, ſemelque admiſſa hominibus permitteret.

X. Archiepiſcopus contra animosè & ſtrenuè, quâ voce in Senatu, qua ſcripto edito, dignitatem, & Jura Primatûs ſui tuebatur. Extat Manifeſtatio, ad Acta Regia Caſtri Varſavienſis porrecta, in hunc fermè ſenſum.

Jnter alia diſſidiorum licentiæq; argumenta, non poſtre-

mam hanc poſt mortem Regiam, ab hominibus turbulentis, ad miſcendas turbandaſq; res controverſiam excitatam, qua morte Regia poteſtatem authoritatemq; Magiſtratuum ceſſare, ſeu Sublatos potiùs Magiſtratus omnes, per Interregnũ è Republ: vellent Primatum quidem ſuum meritò extra invidiam eam eſſe debuiſſe, neque enim quemadmodùm à malevolis in vulgus ſpargitur, Regiam aliquam poteſtatem tanquam Interregem ſe uſurpare: quàmvis ne Regia quidem poteſtas certis legibus & Jure circumſcripta gravis cuiquam eſſe poſſit: multominùs Primatis, cujus poteſtas vacāte Throno Regio, non abſoluta, vel ſumma, verùm ex univerſi Senatûs authoritate pendens, ut nihil in ea, vel ſuſpectum, vel invidioſum eſſe poſſet. Verum ab eo oppugnando initium illis facere viſum, quô convulsô, reliqui Magiſtratus ſimul omnes faciliùs conciderent, ſummaq; omnium rerum diſſolutio in Rempubl: inveheretur. Ante omnia, & veteres res animo repetenti, & præſentem omnium Regnorum Chriſtianorum Statum inſpicienti nemini dubium eſſe poſſe: nullum unquam Regnum aut Rempubl: fuiſſe: in qua non Princeps aliquis Senatûs, gentilibus quidem temporibus, profanus: Chriſtianis autem, Eccleſiaſtici plerumq; ordinis fuerit, qui Cæſaribus, aut Regibus, mortuis, vel abſentibus, partim eorum munere fungeretur, pàrtim ad Conſilia publica, Senatui reliquiſq; Ordinibus Dux authorq; eſſet.

Simili ratione, quàm primùm Religionis Chriſtianæ ſplendor Miecislao Primo illuxit, ab eodem, primus locus, & Primatialis quædam authoritas attributa eſt Archiepiſcopo Gneſnenſi, ut exinde non Sedis tantùm Metropolitanæ, ſed Regni totius Primatum fundatione & beneficio Supremi Poloniæ Principis obtineret.

Primatialis authoritas, memoratur in Statuto Caſimiri Magni, *anno tit: Decimæ* in compoſitione Decimarum per Jaroslaum Boguriam Archiepiſcopum Gneſnenſem, arbitrum, inter Dominum Caſimirum Regem, ab una, & Bodzantam

Epi-

Episcopum Cracoviensem, ab altera, partibus, ubi illud eximium in verbis: *Rex assidens Arbitranti Archiepiscopo Gnesnensi, secum una statuit.*

Idem Casimirus Magnus, in altera compositione de Decimis, inter Archiepiscopum, & Majoris Poloniæ Nobilitatem, eundem Archiepiscopum, Primum Regni sui Principem appellavit, qui non Sacræ, sed profanæ Reipublicæ titulus est, ut nempe inter majores Senatores, qui Principum loco sunt, atque in Statutis & Confœderationibus Principes scribuntur, necnon præ ipsis Feudalibus Poloniæ, imò etiam Sanguinis Principibus, Masoviæ & Russiæ Ducibus, Archiepiscopus Gnesnensis, Primus Princeps audiret, excelleretq; & non vano titulo, sed re ipsa, primam post Regem authoritatem potestatemq; haberet.

XI. Antefertur Archiepiscopo Gnesnensi, Primo Principi Scipio, Regium in morem, neque cuiquam, nisi ipsi Regi submittitur, Regni vel Curiæ Mareschalcis Regium attollentibus quorum si nullus adsit, Archiepiscopi Mareschalcum, etiam ipsi Regi, quod non semel nostra ætate accidisset, scipionem præferre: quod certè non levis alicujus ceremoniæ, sed Juris dignitatisq; Archiepiscopi documentum est, quid enim præstantiùs, quàm Regio insigni Primum Principem honorari?

Archiepiscopi Persona, adeò sacra & lege publica vallata est, ut coram Archiepiscopo contumeliosè aliquid, quamvis in alios proferentes, vel gladium stringentes, certis pœnis irrogatis mulctentur. Quod jure communi Regni Sacrosanctum est, non propter Archiepiscopum, uti privatam personam sustinentem, vel in sua angulari residentia consistentem, ubi ab omnibus suis domi honoratur: sed propter ipsam: Rempubl: cujus interest habere tantæ auctoritatis virum, quem ne verbo quidem lædere fas sit, utq; eo præsente pax & securitas tanquàm penes Principem observetur. Nam lex inquit. *Ubi Princeps, ibi securitas.*

XII. Soli Archiepiſcopo, ut per Procuratorem, fidei tantùm literis ei tributis, in quocunque Jure ſtare, juramentum etiam præſtare, tranſumpta literarum, vel actorum ad Rempubl: ſpectantium, manu ſua ſubſcripta, & Sigillo munita, ad probationem authenticam extradere (quod ſoli Reges obtinent) poſſit, per Privilegia ſpecialia conceſſum, uſuq; confirmatum eſt, eidem ſoli, ut ipſe tantùm Reges Reginaſq; inauguret.

Quodſi coronandi Reges poteſtatem habet, quanto magis cùm conſilio & conſenſu Senatus Electionem indicendi, eandemq; adminiſtrandi, & Regem Electum nominandi: quomodo enim coronaturus ſit eum, de quo, an ritè Electus ſit? ei non conſtaret.

XIII. Extant in Archivo, & in Annalibus ac Tabulariis, vulgò *Actis Metricæ*, Regum Electiones, quæ indictis ab Archiepiſcopis, ex Senatûs Conſilio Comitiis Electoralibus, feliciter liberis omnium Ordinum ſuffragiis peractæ, & publicatæ fuerunt. Vetera nonnulla Tabularia, quibus Magiſtratuum munia deſcripta ſunt, in poteſtate Archiepiſcopi, tanquam Primatis & Principis Senatûs, abſente Rege Comitiorum Indictionem Senatuſq; Convocationem eſſe profitentur, imò præſente etiam Rege, vocare poteſt Archiepiſcopus Senatum: quod Jus conſuetudo comprobavit. Ibidemq; de officiis Regni ſcribens: officia *inquit* ſingulorum hæc ſunt. Mareſchalcus, qui eſt Magiſter Aulæ Regiæ, & adminiſter publici Conſilii, penes quem Jus eſt convocandi Senatum juſſu Regis, vel Primatis.

Multa item quæ ſummi, Regiiq; Juris ſunt ab Albertanis præſertim temporibus, ut vacantium Dignitatum collatio, res judicatæ earumq; executio, militis in Reipubl: fidem & uſus autoratio, damnatorum reſtitutio, aliaq; ejus generis non pauca, ſub ſolius Cardinalis Friderici tum Archiepiſcopi titulo, cum generali ſaltem clauſula. Nos cæteriq; Prælati Senatoreſq; etiam cum verbo mandamus, adminiſtrata, in Ta-

bula-

bulario Regni reperiuntur. Si Rex Comitia intra legitimum tempus indicere cesset, ne quid negligentiâ Regiâ Respubl: detrimenti capiat, Archiepiscopo aliorum Senatorum Consilio consensuq; adhibito, ea indicere, eundem fide publica, contra infestum Regem ad sistendum se Juri in Comitiisq;, cavere eam implorantibus posse, quis vel ignorat, vel tam aversus à commodis libertateq; publica est: ut negare audeat: quod si vivo, præsenteq; Rege Comitia indicere potest; quantò magis nullo Rege existente.

XIV. At libertati publicæ periculum à potestate tanta illius esse potest, quæ quæso affectati Regni suspicio? in Archiepiscopum cadere potest? cui Crux magis, quæ illi præfertur, quàm Regni insignia conveniunt: quique si honestè, salvaq; Republ: ac dignitate sua posset, vel hoc ipso onere veriùs, quàm honore vacare mallet. Neque enim Archiepiscopus ullus eô eget, cui ut Sacris rebus, studiisq; consecrato, nihil otio quieteq; optabilius esse potest, sed Respub. Quodsi Respubl. sine eo esse non potest, mortuoq; Rege, certô utiq; aliquo Consilii publici authore illi opus est, facile quivis statuere secum potest, sacrine ac profani Ordinis homo citiùs Rempubl: opprimere, in potestatem Regnum redigere valeat? Ad me quod attinet, annorum jam satur, temporum etiam, in quæ perversissima incidimus, tædio ipsius vitæ, maximæ autem pompæ omnis pertæsus, utinam honestè curis molestiisq; iis, quas munus hoc secum fert, abdicare me possem. Sed cùm jus à Majoribus ad me transmissum, sine insigni ad posteros nota deserere non possim, quemadmodum hactenus quantum in me fuit, tutatus id fui, ita inposterum quoque tutandum mihi est, non ita tamen, ut ad vim ullam descendere ob id velim, publico vestrûm omnium judicio rem permitto. Si Reipubl. Majestatisq; securitatis denique ejus interest, tum majoris etiam Poloniæ universæ, cui non minus dignitas hæc periret, quàm Archiepiscopo: juvate me contra eos, qui non, tam me, quàm per latus meum Rempubl:

dignitatemq; ejus, atque omnium adeo Magiſtratuum jura oppugnant. Quodſi ab aliis, quemadmodum hactenus factum fuit, oppugnabor: ab aliis, à quibus minimè debeam, deferar: ſatis mihi erit, in me nihil Reipubl: defuiſſe, publicè teſtificari, quemadmodúm quidem, quod veſtra omnium bonâ veniâ & pace mihi liceat, teſtificationem hanc meam in Acta publica referendam curabo.

Rem poſtremò itâ compoſitam refert Reinholdus Heidenſtenius Luteranus, temporum illorum gravis Scriptor, *lib: 1. fol: 21.* ut indicendi poſt mortem Regis Conventûs, Regis etiam ipſius, ex Ordinum ſententia prodendi & coronandi Archiepiſcopo, poteſtate confirmatâ, Mareſchalco publicè ejus renunciàndi, poſtquàm ab Archiepiſcopo ex publica authoritate proditus jam eſſet, jus relinqueretur.

XV. Coronandi Poloniæ Reges jus & authoritatem, à condito Regno, penes ſolos Archiepiſcopos Gneſnenſes, ſemper fuiſſe, certo certiùs habetur, à Boleslao Chrabro, Primo Rege Poloniæ, ad hodie uſq; feliciter Regnantem Joannem III. (excepto Stephano Bathoreo, quem in ſciſſione Reipub: Stanislaus Carncovius, Epiſcopus Vladislavienſis, Cracoviæ coronavit: quandoquidem Jacobus Uchanſcius Archiepiſcopus, ſeu partium Auſtriacarum, pro Maximiliano obſtinato ſtudiô, ſeu gravi tardante ſenectâ, rogatus licèt à Stephanianis, venire Cracoviam, & coronare, recuſaret) Reges omnes, tam Gneſnæ vetuſta olim Regum Sede: quàm translatis inde Regiis Inſignibus, Cracoviæ, per manus Archiepiſcoporum Gneſnenſium diadema accepêre.

XVI. Ita Boleslaum Primum, Ottone III. Imperatore præſente & coronam imponente, Gaudentius Archiepiſcopus concoronavit: cui ſolennitati aderat Silveſtri II. Papæ Legatus de latere, Diaconus Cardinalis. *Anno 1000.* Miecislaum Boleslai Filium, cum Conſorte Rixa Hippolitus *Anno 1025.* Caſimirum Primum cum Conſorte Dobrogneva. Stephanus *anno* --- Idem Boleslaum Audacem S. Stanislai occiſorem, *anno 1056.* Attro-

Atrocitate impiæ cædis S. Stanislai, commotus Pontifex Maximus, Gregorius VII. Boleslaum diris devovit, Regnum eidem abrogavit, Poloniæ Sacris interdixit: ac ne inposierum quempiam Regem Archiepiscopus, injussu Apostolicæ Sedis ungeret & coronaret, inhibuit, qui verò socii sceleris Regii fuissent, eos, & eorum posteros ad quartam progeniem, à Sacerdotii & omnium Magistratuum Ecclesiasticorum functionibus ac emolumentis submovit.

Post ducentos & quindecim annos, sub Ducum nomine, variis tumultibus, & internis Regni dissidiis, bellisq; externis transactos, Præmislao Ducis Posnaniensis Filio, Regimen Poloniæ, concordi omnium voluntate delatum est. *Hic anno Christi 1295.* Gnesnæ Comitiis habitis, renunciatus Rex à Jacobo II. Archiepiscopo ritu solenni coronatur, Joanne Gerbisso Posnaniensi Joanne Romka Vratislaviensi, Goslao Plocensi & Conrado Lubiscensi, Episcopis assistentibus. Verùm diadema, ut Summi Pontificis authoritate abrogatum fuerat, eadem resumi opportuisse, infelix recens inaugurati Regis exitus ostendit. Etenim Otto Longus, Marchio Brandeburgensis, cum Ottone altero, & Joanne Conradi Fratris Filiis, ex Constantia Præmislai Sorore susceptis, apud Rogosnum animum relaxantem, & Genio diebus Bachanalium indulgentem diluculo diei Cinerum, valida manu adorti, occiderunt. Creditur Uxoris peremptæ pænas sua cæde persoluisse. Mox idem Jacobus, Venceslaum Bohemum, Regem Poloniæ Electum, *anno Christi 1300. Gnesnæ coronavit.*

Vladislaus Locticus reverentior Sedis Apostolicæ, relaxationem Interdicti Pontificii, quò Gregorius VII. post necem Divi Stanislai, Regio honore Polonis interdixerat, per Gierhardum Vladislaviensem Episcopum, à Joanne XXII. Papa impetravit. Hunc Janislaus Episcopus cum Uxore ipsius Heduige Cracoviæ coronavit, *anno Christi 1320.* atque ex eo tempore, jus coronandi Reges, & ipsa Regni Insignia, & Thesaurus Regni Gnesnâ, Cracoviam, propter amplitudinem splendoremq; Urbis, translata sunt. Casi-

Casimirum magnum, filium Vladislai, idem Janislaus Archiepiscopus, cum Anna Conjunge, Giedimini Ducis Lithuaniæ filia unxit & coronavit, *anno 1333.*

Ludovicum Ungarum, qui cùm Majoris Poloniæ Proceres contenderent, Gnesnæ Reges coronari debere: ipsos in sua Coronatione, tali prætensione abjudicavit, & proximorum Regum, Vladislai Avi, & Casimiri Avunculi exempla, ea in re secuturum se esse dixit: *Crom: lib: 13. fol: 332.* Jaroslaus Archiepiscopus coronavit, *anno 1386.*

Vladislaum Jagellonem, qui Insignia Regni ex Hungaria recuperata, Cracoviæ, unde fuerant evecta, *Anno 1412.* reposuit: Bozanta, *anno 1401.*

Casimirum Jagiellonidem, Vincentius Cotus, *anno 1497* [1447]

Joannem Albertum, Sbigneus Olesnicki, *anno 1501.*

Alexandrum Fridericus Cardinalis frater Regius, *anno 1501.*

Sigismundum Primum, Andreas Rosa, *anno 1507.*

Sigismundum Augustum, vivente Patre Joannes Lascius, *anno 1599.*

Henricum Valesium, Jacobus Uchanscius, *anno 1574:*

Sigismundum III. Stanislaus Carncovius, *anno 1687.*

Vladislaum IV. Joannes Wężyk, *anno 1633.*

Joannem Casimirum Matthias Łubienski, *1649.*

Michaëlem, Nicolaus Prazmowski, *anno 1669.*

Joannem III. Andreas Olszowski, *anno 1676.* Diademate Regio cinxerunt.

XVII. Huic tam longa continuaq; seriè deducto usui, & notorio juri, robur perpetuum adjecit, inclytum Privilegium Casimirianum, *anno 1451.* tenoris talis.

CASIMIRUS, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. Dominus & Hæres &c. Significamus præsentium tenore, quibus expedit, universis, præsentibus, & futuris. Quòd cùm inter terras Nostras Regni Poloniæ, & subditos earum, non modica orta esset differentia, disceptatioque non mediocris facta, de & super Cardinalatu,

nalatu,

nalatu, Reverendissimi in Christo Patris, Domini Zbignei. Episcopi Cracoviensis: propter quod Respublica Regni ipsius dissolvebatur, & complurima incommoda capiebat. Nos tandem talem differentiam, disceptationesq; prout ex debito regiminis Nostri tenemur semovere, sedare, & complanare volentes, & ipsas terras nostras, ad statum reducere debitæ unionis. Indictô super ea re potissimè Parlamento Generali, Prælatorum, & Baronum Regni Nostri, præfati, in hoc loco Oppidi Piotrkoviensis, pro festo Pentecostes, servato, de consilio eorundem Prælatorum & Baronum nostrorum, per nos ità conclusum existit determinatum, definitum, & decretum. Imprimis siquidem; quia Sedes Metropolitana Gnesnensis Dominiq; Archiepiscopi, & Primates Sedis ejusdem, *pro tempore existentes, in omni jure, auctoritate, & potestate, prærogativa, jurisdictione, & consuetudine,* quas alias Gnesnensis Ecclesia, ab antiquo supra Ecclesiam Cracoviensem habuit & habet, debeat in ævum conservari. Quantùm verò ad Coronationes Regum & Reginarum Regni Poloniæ pertinet; statuendo decernimus & sententiamus, quod nullus alius, neque præfatus Dominus Zbigneus Cardinalis de hujusmodi Coronatione ipsorum Regum, & Reginarum se de cætero & in perpetuum intromittent, nec coronabunt, præter Archiepiscopum Gnesnensem, pro tempore existentem, circa quas coronationes, præfatus Dominus Zbigneus Cardinalis, habitu duntaxat utetur Cardinalatûs, ceremoniis autem uti debet sicùt Episcopus Cracoviensis, prout ab antiquo utebatur, ubi interesse voluerit: quod in sua erit libera voluntate. Regia Majestas nihilominùs aut Reginalis, taliter coronanda, per Archiepiscopum Gnesnes. & alios Episcopos coronabitur, & coronari debebit. Item statuimus, & ordinavimus: quod præfatum Dominum Zbigneum Cardinalem & Episcopum Cracoviensem, omnes & singuli Regnicolæ, cujuscunque dignitatis, statûs, & conditionis existant, pro vero & indubitato Cardinali tenebunt & reputabunt, eundemq; ipsius Cardinalatûs

titulo scribent, intitulabunt & nominabunt, scribereq; & intitulare, & nominare tenebuntur, & sint adstricti. Item amodò & de cætero neque D. Archiepiscopus Gnesnensis, neque Episcopus Cracoviensis & cæteri Episcopi postulabunt, aut petent, sed neque petere debent, aut quovis modò impetrare dignitatem Cardinalatûs, aut Legationis Sedis Apostolicæ, absque consensu nostro, & omnium Consiliariorum Regni. Cæterùm ut quævis impedimenta in Consiliis pro bono publico faciendis cessent, & difficultates quæque amputentur, firmaq; stabilitas Consiliorum in ipso Regno nostro permaneat: uterque Prælatorum prædictorum, vadant cum cæteris Prælatis & Baronibus ad conventiones pro tempore statuendas, daturi ad Rempubl: consilia opportuna: sed alter eorum una die, & alius altera die veniat, & ingrediatur: quem tunc nos vocandum duxerimus. Non vocatus verò in hospitio debeat remanere & stare. Daturus nihilominùs ab inde consilia opportuna, super quibus fuerit requisitus. Præterea hoc præsens Decretum in præmissis factum, habitum, & conclusum, inviolabiliter per partes teneri debet, & irrefragabiliter observari. Qui verò illud servare, cernere, & aliud attendere nollet, sperneret, aut minimè curaret, nos contra talem partem, præmissa non servantem, & omnes Consiliarii Nostri, atque Regnicolæ, omninò esse debemus, & non permittere eum uti propriâ voluntate. In quorum omnium fidem, & testimonium præmissorum, Sigillum Nostrum, præsentibus est subappensum. Actum in Piotrkow, in Conventione Generali, feria quinta, infra octavas festi Pentecostes, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo Primo. Præsentibus, Reverendissimis in Christo Patribus Dominis, Joanne Vladislaviensi, & Andrea Posnaniensi Episcopis: necnon Magnificis & Generosis Joanne de Czyżow, Castellaneo & Capitaneo Cracoviensi, Luca de Gorka Posnaniensi, Joanne de Olesnica, Sandomiriensi, Alberto de Male Lanciciensi, Joanne de Kretkow Brestensi, Kuczkone de Pomorzany, Po-

dolia,

doliæ, Palatinis, Przedborio de Koniecpole, Sandomiriensi, Stanislao de Ostrorog, Gnesnensi, Petro Skora de Gaii, Calisiensi, & Creslao de Kurozwanski Lublinensi, Castellanis, & aliis quam pluribus fide dignis testibus, circa præmissa. Datum per manus Magnificorum, Joannis de Koniecpole Cancellarii, & Petri de Szczekoczyn, Vice-Cancellarii Regni Poloniæ, Nobis sincerè dilectorum.

Quod Privilegium, in Comitiis Ordinum Regni, Sigismundus I. confirmavit tenore tali.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Emergentes sub tempore casus Rempubl: turbantes, & inter subditos odia seminantes, prudens Regum, & Principum Consilium, vel moderari in meliùs, vel è medio tollere consuevit: ne iterum viribus resumptis, deteriora prioribus suscitent, & factiosis ingerant audaciam, sed ut memoria ejusmodi actionum, per Regum Principumq; prudentiam moderatarum, vel constitutarum, æviterna habeatur, literis humana industria, talia committere consuevit. Proinde Nos Sigismundus, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Russiæ, Prussiæ, Culmeñ, Elbigeñ, Pomeraniæq; Dominus & Hæres. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, Universis & Singulis, præsentibus, & futuris, harum notitiam habituris. Quia Consiliariis Statûs utriusq; videlicet Ecclesiastici & Secularis Regni Nostri cupientibus, ut simultates & odia, inter Regnicolas hujus Regni, ex insuetis præeminentiis, quas sibi quispiam sua spontè, propria libidine, seu ambitionis instinctu, sine Regis pro tempore existentis admissione præparet, seu præparare vellet, non cresceret. Iidem Consiliarii Nostri supplicarûnt Nobis humiliter, ut quoddam Privilegium Divi Casimiri Regis, Parentis Nostri, inferiùs insertum, innovandum decerneremus, eidemq; observando æviternè firmum robur, de plenitudine

poteſtatis Majeſtatis Noſtræ Regiæ adderemus. Cujus quidem Privilegii tenor de verbo, ad verbum ſequitur, & eſt talis. Nos itaq; Conſiliariorum Noſtrorum ſupplicationi, proinde, ac ex cauſis legitimis & decentibus factæ, aſſentientes, literas præinſertas innovandas decrevimus, eaſdemq; roboramus & confirmamus perpetuò valituras, hoc ſiquidem pro planiori declaratione, ac cum ſeveritate adijcientes, quodſi quiſpiam majorum Prælatorum, ſtatûs, conditionis & ordinis cujuſcunque, ambitione quacunque ſeductus, Cardinalatûs dignitatem, aut Legationem, quocunque modo & colore, noſtrô noſtrorumq; Succeſſorum ſpeciali & expreſſo conſenſu non accedente, petere, vel quomodocunque ſibi datam accipere præſumpſerit, ejuſdem omnia bona, in Regno noſtro exiſtentia, tam Eccleſiaſtica, quàm etiam temporalia, mobiliaq; & immobilia, fiſco noſtro, jam ad hoc omnibus conſentientibus, ſine ſpe gratiæ applicanda decernimus: ſtatuentes & omninò volentes Privilegium hoc, cum ſuis inſertis, perpetuum firmitatis robur habiturum. In cujus rei teſtimonium, Sigillum Noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. *Actum in Conventione generali Piotrkovien: die Martis, Septima Menſis Decembris, aliàs in Vigilia Conceptionis Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, Anno Domini, Milleſimo, Quingenteſimo, Duodecimo, Regni verò Noſtri, anno ſexto. Præſentibus Reverendiſſimo & Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, Dominis, Ioanne Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Primate, Ioanne Cracovienſi, Ioanne Poſnanienſi, Eraſmo Plocenſi, Fabiano Varmienſi, Matthia Premislienſi, & Regni Noſtri Cancellario, Iacobo Camenecenſi, Eccleſiarum Epiſcopis, necnon Magnificis, Venerabilibus & Generoſis, Nicolao de Kamieniecz Cracovienſi & Campiductore Regni Noſtri Generali, Nicolao de Lubrancz, Poſnanienſi, & Capitaneo Lancicienſi, Ioanne de Tharnow Sandomirienſi, Iaroslao de Laſko, Siradienſi, Ioanne Iarandÿ de Brudzow, Lancicienſi, Nicolao de Kretkow, Breſtenſi, Ioanne Odrowąż de Sprowa, Ruſſiæ Generali, Otha de Chodecz, Podoliæ, Nicolao Firley de Dąbro-*

wicza, Lublinensi, Georgio de Baiczen, Mariaburgensi, Nicolao de Pilcza Belzensi, Andrea de Radzieiowice, Plocensi, Prandotha de Zelazna, Ravensi, Palatinis. Luca de Gorka, Posnaniensi, & Capitaneo Majoris Poloniæ Generali, Christophoro de Szydłowiecz, Sandomiriensi, & Regni Nostri Vice Cancellario, necnon Siradiensi, Socbaczoviensi & Gostinensi Capitaneo, Stanislao de Ostrorog, Calissiensi, Ianussio, Latalski Gnesnensi, Ioanne de Przerąb Siradiensi, Alberto de Gladzanow, Lanciciensi, Nicolao de Szydłowiecz Radomiensi & Succamerario Cracoviensi, Regni Nostri Incisore, Nicolao Iordan de Zakliczyn Visliciensi, Andrea de Oporow Brestensi, Hieronymo de Kobylany, Rosperiensi, Andrea de Tbenczyn, Biecensi, & Causarum Curiæ Nostræ Referendario, Georgio Krupski de Orchow Belzensi, Stanislao de Potulicze Miedzyrzecensi, Iaroslao Sokołowski, de Wroncza Landensi, Petro Gorski Naklensi Ioanne de Bochotnicza Małogostensi, Stanislao de Sprowa Zarnoviensi, Martino Skotnicki de Boguria, Zawichostensi, Stanislao Kuropatwa de Laczuchow Chełmensi, Castellanis. Stanislao de Chodecz Mareschalco, & Leopoliensi Capitaneo, Andrea de Kościelecz, Thesaurario Szczepusiensi, Oswięcimensi, Sandecensi, Inovladislaviensi & Bidgostensi Capitaneo, necnon Zuppario, & Magno Procuratore Generali Cracoviensi Regni Nostri, Andrea de Kliecz, Ioanne Sculteti, Sacræ Theologiæ Professore, & Archidiacono Varmiensi, Ioanne Latalski, Gnesnensi, Cracoviensi & Lanciciensi Præposito, Petro Tomicki Decretorum Doctore, Archidiacono, Ioanne Karnkowski Canonico Cracoviensi, Stanislao Gorecki, Præposito Calissiensi, Ecclesiarum Secretariis Nostris, Stanislao Iarocki, Curiæ Nostræ Mareschalco, Raphaële de Leschno Capitaneo Slochoviensi, Georgio de Targowiecz Capitaneo in Golub, Henrico Isffelt ProConsule Thorunensi, Ambrosio Stborm Nuntio & Notario Gedanensi, Civitatum Nostrarum, Stanislao Lassocki Posnaniensi, Adamo de Drzewicza Sandomiriensi, Terrarum Succamerariis, Nicolao Oczieski Capitaneo Costhen & Magistro Agasonum Curiæ nostræ, & aliis quàm pluribus Dignitariis & Officialibus

Regni Nostri, Curiæq; nostris circa præmissa testibus fide dignis, sincerè & fidelibus nostris dilectis. Datum per manus præfati Reverendi in Christo Patris Domini Matthiæ Episcopi Præmisliensis, & Regni Nostri Cancellarii.

L. S.

Matthias Drzewicki, Episcopus & Cancellarius, Relatio ejusdem Reverendi in Christo Patris Domini Matthiæ Episcopi Præmisliensis, & Regni Poloniæ Cancellarii. Super quibus omnibus & singulis petiit sibi à me Notario infrascripto, suprascriptus Perillustris Dominus Canonicus unum vel plura confici & extradi Instrumentum publicum, vel instrumenta. Acta sunt hæc Gnesnæ, anno, die, mense, Indictione, Pontificatûs quibus supra, Præsentibus, Illustribus & Admodum Reverendis Dominis Vladislao Kołudzki, Canonico Kijoviensi, Præbendario majore Kołudzciano, Joanne Kurszynski, Sancti Georgii itidem Canonico, & Admodùm Reverendis Matthæo Łukomski, Pænitentiario Metropolitanæ, Præposito Parochialis Sanctissimæ Trinitatis, Joanne Szczawinski, Decano Zbarensi S. Michaëlis Parocho Vice-Procuratore Reverendissimi Capituli Gnesnensis, Testibus ad præmissa specialiter rogatis, & adhibitis.

L. S.

Et me Stanislao Rzepecki, Ecclesiæ Collegiatæ S. Georgii Canonico, Sacra Authoritate Apostolica Publico, & Actorum Reverendissimi Capituli Metropolitani Gnesnensis Notario, qui præinserti Privilegii cum omnibus contentis illius porrectioni, & transumptioni, aliisq; omnibus & singulis dum taliter (uti præmittitur) fierent & agerentur, unà cum prænominatis Testibus præsens interfui, eaq; sic fieri vidi, & audivi. Ideo hocce Publicum super præmissis confeci Instrumentum, manuque licèt Vicaria, mihi tamen fida scriptum, signo nomine & cognomine meis, quibus in talibus utor communivi,

munivi, in fidem, & robur præmissorum, rogatus & requisitus.

Attestatio Legalisationis.

Stanislaus Carolus Grabinski, Canonicus, & Sede vacante Archiepiscopatûs Vicarius in Spiritualibus, & Officialis Generalis Gnesnensis, Archidiaconus Calissiensis, Sacræ Regiæ Majestatis Secretarius.

Universis & singulis, quorum interest tenore præsentium significamus, suprascriptum Illustrem & Admodùm Reverendum Dominum Stanislaum Rzepecki, Collegiatæ Sancti Georgii Canonicum, Sacra Authoritate Apostolica Publicum, & Actorum Reverendissimi Capituli Metropolitani Gnesnensis Notarium esse, illiusq; Scripturis Authenticis, & Instrumentis Publicis, per eum confectis, tam in Iudiciis, quàm extra semper adhibitam fuisse, & ad præsens plenariam adhiberi fidem. In cujus rei testimonium &c. Datum Gnesnæ, die undecima, Mensis Septembris. Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo, Septuagesimo, Quarto.

Statutum tit: Electio Regis. fol: 161.

De Coronatione Regum Poloniæ constituimus. Quod nemo in Regem Poloniæ coronari debeat, donec unanimiter secundùm leges & Privilegia Regni, ab omnibus Ordinibus Regni Electus sit. Qui quidem unanimi consensu electus à nemine alio coronari debet, præterquàm à Reverendissimo Archiepiscopo Gnesnensi secundùm Privilegium, quod Archiepiscopo, per Casimirum Tertium Regem Poloniæ illi est concessum, in anno Domini 1451.

XVIII. Electo in Regem Stephano Bathoreo, Transylvaniæ Principe, Decretum quoddam nomine Consiliariorum & Ordinum sancitum erat, tenoris talis.

Nos Consiliarii Regni Spirituales & Seculares, ac Nuntii omnium Regni Terrarum, ab Equestri ordine, ad Coronationis Conventum cum plena facultate missi, universis, quorum interest significamus. Quod cùm Cracoviam, ad diem

Coro-

Coronationi in Conventu Andreovienſi conſtitutam, & ſemel atque iterum prorogatam conveniſſemus, communi noſtrum omnium conſilio & conſenſu id egimus & procuravimus: quò Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Jacobum Uchanski, Archiepiſcopum Gneſnenſem eò adduceremus, ut pro officio ſuo, ex Privilegio à Caſimiro Rege ſibi conceſſo, ad perficiendam Coronationem Cracoviam veniret, ſolenniq; muneri ſuo ſatisfaceret. Et quamvis jam antea ex Conventu Andreovienſi de eo admonitus fuiſſet: tamen concordiæ, & amoris Fraterni deſiderio, iterum etiam ex præſenti Conventu Legatos noſtros, & per literas ſuas ſe brevi affuturum promiſiſſet, cùm ſua cauſa tum etiam Sereniſſimi Regis expectatione, qui etiam tum in itinere erat, tempus Coronationi præſcriptum prorogavimus. Poſteaquàm verò ſatis diu eundem expectaſſemus, Regiaq; Majeſtas jam jam Cracoviam adventaret, tertiò etiam Varſaviam ad eum miſiſſemus orantes, & hortantes, ut ad nos quàm primùm accelleraret, ſimulq; denuntiantes, propter impendentia Reipubl: pericula, nos ipſius adventum diutiùs expectare non poſſe. Cùm verò & ex Legatis noſtris, & ex ipſius literis Nobis ſatis jam conſtet, eum contra quam promiſerat, ad Nos venire, munerique ſuo ſatisfacere nolle, aut non poſſe: cùmq; ſatis perſpiciamus, quot & quanta pericula, ſi diutiùs etiam Coronatio prorogaretur, Reipubl: immineant. Una mente in eo omnes conſenſimus, ut ſine ulla procraſtinatione, Sereniſſimus Stephanus Rex Electus unà cum Sereniſſima Anna Regina, ex præſcripto literarum ad univerſos Regni Incolas, jam antea tranſmiſſarum, à Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino Stanislao Carncovio, Dei Gratiâ Epiſcopo Cujavienſi: qui in Majore Polonia, ſecundùm Dominum Archiepiſcopum, proximum locum obtinet coronentur. Ne verò quiſpiam reperiatur, qui verbis Privilegii Regis Caſimiri inhærendo, quacunque ratione hoc ipſum negotium atque actionem in dubium revocare velit: idcirco Nos habito reſpectu

spectu Legum & Statutorum de Coronatione factorum, diligenterq; consideratis ipsius Privilegii verbis, animadvertentes, quàm absurda inde sequerentur: si quis illud ità intelligendum esse existimauerit, ut ad solum Dominum Archiepiscopum, omnem Coronandi facultatem ità adstrictam esse vellet; ut nullo casu, alium quenquam id facere posse affirmaret: hoc ipsum Privilegium authoritate Constitutionis Conventûs præsentis, ità interpretamur, declaramus, ac decernimus, eamque ipsius esse mentem omnino judicamus: quòd scilicet Reverendissimo Domino Archiepiscopo volente & valente, nemo alius præter eum, Regem coronare debet, aut potest. Quodsi verò ad id vocatus hoc ipsum facere aut noluerit, aut non potuerit, vel etiam è vivis sublatus fuerit: is, cui hoc ipsum proximè competit, ex Majori Polonia, eadem potestate, aut authoritate id perficere potest, & debet. Quodsi quis præter hanc interpretationem, & declarationem Nostram, istud Privilegium aliter intelligere, aut interpretari voluerit, præsentiq; Constitutioni, atque Decreto Nostro adversari ausus fuerit; is pro hoste & turbatore Reipubl: habeatur, juxta Constitutionem Conventûs Andreoviensis. *Datum Cracoviæ &c. 25. Aprilis, Anno Domini 1526.*

Sed Decretum illud postea suppressum, in numerum legum non pervenit Reginol. Heidestenius rerum Polonicar. *lib: 2. fol, 95.* Crediderim, ne vel minimum de auctoritate Archiepiscopi in futurum delibaretur.

Neque silentio transmitti debet Bulla Sixti V. de non Coronandis Regibus hæreticis.

Sixtus Episcopus Servus Servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis nostra solicitudo, quam pro tuenda ubique gentium & locorum propagandaq; Catholica religione suscipere tenemur, paternaq; charitas, quam erga inclytum Po-

loniæ Regnum, in viſceribus Chriſti præcipuè gerimus, & ſingularis zelus Orthodoxæ fidei, ſinceraq; erga Romanos Pontifices, Sanctamq; hanc Sedem devotio, quam ipſum Regnum, præſertim verò illius Prælati hoc maximè tempore præſeferunt: jure optimo nos inducunt; ut iis, quæ pro conſervatione ejuſdem Catholicæ fidei, & pro publica ejuſdem Regni quiete & tranquillitate, piè ac prudenter à Prælatis præfatis ſtatuta fuerunt, Apoſtolicæ confirmationis robur eiſdem Præſulibus ſupplicantibus benignè impartiamur. Nuper ſiquidem ſicut expoſitum Nobis fuit, in Synodo Provinciali Petricovienſi, de more celebrata, Venerabiles Fratres noſtri Archiepiſcopi, & Epiſcopi Metropolitanarum & Cathedralium dicti Regni Eccleſiarum ſimul congregati, & convenientes in unum, ut more vigilum Paſtorum, Gregem Dominicum ſuæ curæ creditum, ab imminentibus luporum periculis incolumem, quantum in eis eſt præſervarent: ſimulq; unioni & paci ipſorum Prælatorum ac Procerum, & populorum ejuſdem Regni conſulerent, inter alia ſub Noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, ſtatuerunt, ordinarunt, & decreverunt. Quod tam in præſens, quàm in futurum nemo unquàm agnoſcatur, nec recipiatur in Regem Poloniæ, niſi fuerit verè Catholicus: Quique Sanctam Catholicam & Orthodoxam fidem, quam Sancta Romana & Apoſtolica Eccleſia tenet, docet, & prædicat, palam, & publicè profiteatur & ſequatur, & in unitate ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ permaneat. Quodque pro tempore exiſtens Archiepiſcopus Gneſnenſis, cui jus renuntiandi ſeu publicandi Regem ex Privilegio competere dignoſcitur, neminem renuntiet, aut publicet, qui fuerit dubiæ fidei, & non ſit manifeſtè Catholicus. Ad tollendum verò diſſidii & inteſtini belli periculum, nullus Epiſcoporum & Prælatorum, contra Jus Archiepiſcopi prædicti, poſt renuntiationem ab eo factam, ſcilicet de perſona Catholica, & ſervatis Regni Statutis & conſuetudinibus in Electione Regis audeat nominare, renunciare, aut

coronare alium in Regem; alioquin à Regimine & administratione Cathedralis seu Metropolitanæ Ecclesiæ, cui præest in perpetuum eò ipso suspensus atque omnibus beneficiis Ecclesiasticis, quæ quomodolibet obtinet, privatus existat, & nihilominus hujusmodi nominatio, renunciatio aut coronatio invalida & nulla censeatur, ac nullius sit roboris, vel momenti. Ne quis nominatus à Rege Poloniæ pro tempore existente, in Episcopum vel Archiepiscopum, ad Ecclesiam aliquam Cathedralem, vel Metropolitanam, ex iis, ad quas pro tempore vacantes jus nominandi ipsi Regi ex Privilegio Apostolico competit, assumat sibi honorem, nec locum: neve in regimine & administratione Ecclesiæ hujusmodi illiusq; bonorum quoquo modo se immisceat; nisi priùs à Sede Apostolica eidem Ecclesiæ de persona sua sic nominata provideri, seu in Episcopum, vel Archiepiscopum, Præsulem & Pastorem præfici obtinuerit literis Apostolicis desuper expeditis, si secus fecerit, ad illam, & ad aliam quamcunque inhabilis omninò censeatur. Quicunque sive ex Senatoribus, sive ex Nobilibus, in promovendo Rege hæretico opem, consilium, auxilium, vel favorem præstiterit, vel consenserit, aut ei jam promoto adhæserit, præter alias censuras Ecclesiasticas & pænas, in quas eos incurrere sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis constitutum est, tam ipse, quàm posteri ejus, & descendentes, ad omnes honores dignitates, & beneficia Ecclesiastica obtinenda, perpetuò inhabiles & incapaces sint, & esse censeantur. Nullus Episcoporum seu inferior Prælatus audeat hæreticum hominem ad honores dignitates, officia, vel beneficia Spiritualia, vel temporalia promovere, vel promoveri facere, aut intercessione, opibus, aut quacunque alia ratione ad ea assequenda juvare. Quodsi id attentare præsumpserit, pænam privationis omnium & quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum, vel Officiorum, quæ obtinet, necnon suspensionis; ut præfertur à regimine & administratione suæ Ecclesiæ ipso facto incurrat, & ad alia obtinenda in-

capax prorſus exiſtat. Quicunque ex iis, qui pro Catholicis ſe gerunt, tepidis nimirùm, & falſis fratribus, Apoſtolicæ Sedis auctoritatem Juriſdictionem Eccleſiaſticam, & jura Decimarum, publicè vel privatim, directè vel indirectè in Conventibus, aut aliis in locis impugnaverit, tam ipſe, quàm ejus poſteri, ab Ordinibus, & honoribus, dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis, in perpetuum arceantur, & ad illa ſemper inhabiles exiſtant. Quoties ex neceſſaria, communi & publica cauſa, ac de licentia, ſeu permiſſione Sanctæ Sedis Apoſtolicæ conferendum eſt, conſenſu publico, ex bonis Eccleſiæ ſubſidium ſeu donativum aliquod Regi, vel Reipublicæ, illud per deputatos ſuos Epiſcopi exigant: ne ſubditi, & bona Eccleſiarum à Secularibus Exactoribus expilentur, & prophanentur, ac variis injuriis & damnis prout plerumq; factum eſt, afficiantur. Si Epiſcopi aliter fecerint, pœnis in Concilio Generali Lateranenſi, noviſſimè celebrato, & in Bulla Cænæ Domini legi ſolita, aliiſq; Sanctionibus Apoſtolicis contra eos, qui etiam ſponte offerunt inflictis, eo ipſo ſubjaceant. Demum quod propter omnes ſubditas dicti Regni neceſſitates & improviſos eventus, Theſaurus ſive ærarium publicum, & commune omnium Regni prædicti Eccleſiarum, in aliqua Eccleſiæ arce, ſeu Caſtro providè & accuratè inſtituatur, & cum omni diligentia & cuſtodia aſſervetur. Quæ omnia Statuta & decreta, quò firmiùs & accuratiùs perpetuis futuris temporibus obſerventur, iidem Prælati, per dilectum filium Vincentium de Seve Præpoſitum Laſcenſem & Internuntium ab ipſa Synodo Provinciali ad Nos miſſum, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut illis Apoſtolicæ comprobationis robur adiicere, aliaſq; in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorundem Prælatorum ac ipſius Synodi pietatem, ſanctumque & laudabile propoſitum, plurimum in Domino commendantes, eorumq; ſupplicantibus hac in parte annuentes, Statuta ordinationes, & decreta prædicta, prout ſuperius deſcripta

fue-

fuerunt, ex certa Nostra scientia deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, eaq; præsentis scripti patrocinio communimus, & illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac per eos, quos illa concernunt & concernent in futurum perpetuò firmiter & inviolatè observari præcipimus, & mandamus, omnesq; & singulos Juris & facti ac solennitatum & substantialium, si qui in eis intervenerint defectus supplemus. Decernentes irritum & inane: si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædictarum Ecclesiarum, & quibusvis aliis contrariis Statutis & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, & immemorabili tempore pacificè observatis, necnon privilegiis, indultis, & literis Apostolicis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua mentio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, ad effectum præsentium duntaxat specialiter & expressè derogamus, illaq; omnia & singula quatenus præsentibus literis in aliquo adversantur, penitùs tollimus, & abrogamus, ac nolumus deinceps cuiquam suffragari, cæterisq; contrariis quibuscunque. Aut si eisdem Prælatis, vel eorum alicui, seu aliis personis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum: quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod præsentium literarum transumptis etiam impressis Notarii Publici manu subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica cõstitutæ obsignatis, eadem ubiq; fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur exhibitis, vel ostensis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, approbationis, communitionis, adjectionis,

nis, præcepti, mandati, ſuppletionis, decreti, derogationis, ſublationis, abrogationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. *Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, Quingenteſimo, Octogeſimo, Nono. Quinto Idus Februarij. Pontificatus Noſtri, Anno Quinto. E. Cardinalis Pnat: locus* ✝ *plumbi, in filo variegato ſericeo penden. Andreas de Alexiis M Veſtrius Barbianus.*

Sed validiſſimè novella lex Interregnorum, Michaëlis, & Joannis III. Acatholicos Reges & Reginas à throno excludit. Proinde cùm de pace inter Diſſidentes conſervanda, ex præſcripta Juramenti formula Joannes III. flexis ad altare genibus verba proferret, ego Archiepiſcopus Coronator, contra hunc articulum tolerantiæ hæreticorum, ſubinde verbo, clara voce proteſtatus ſum.

Eadem auctoritas competit ſoli Archiepiſcopo Gneſnenſi, Electos ab Ordinibus, & univerſa Nobilitate Poloniæ Reges, in campo Electorali, Primatiali & Primi Principis jure nominandi, quo munere licèt in nupera Electione Regiæ Majeſtatis Joannis III. (extincto paucos ante dies Caſimiro Czarroryski, Archiepiſcopo Gneſnenſi) perfunctus ſit Andreas Trzebicki, Epiſcopus Cracovienſis, ſine tamen præjudicio Primatis, nempe vacante Sede Gneſnenſi, & Vicariâ pro Archiepiſcopo opera, prout Diploma Electionis teſtatur, quod hîc inſerere, è dignitate cenſeo.

In Nomine Sanctiſſimæ ac Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus S.

SIgnificamus præſenttbus literis Noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis. Viduata iterum Reſpublica Noſtra, per immaturum obitum Sereniſſimi olim Michaëlis Polo-

niæ

niæ Regis, qui vix unico nec dum integro imperii lustro exacto, die decima, Mensis Novembris, anno proximè elapso, Leopoli, caducam istam immortali corona permutavit, in tam luctuosi funeris, & novæ cladis acerrimo sensu, animo tamen erecta, suiq; inter præcipitia memor, ire in remedia non destitit, ut crescere per ipsa Lechiam damna compertum haberet Orbis. Auspicari imprimis placuit, scrutandæ & ultimis Interregni casibus eripiendæ Patriæ consilia, ab exorato Divino Numine, cujus unico velut digiti motu, Regna de gente, in gentem transferri, Reges è folio, ad solium provehi, solenne, & in proclivi est. Cæptum dehinc ingens negotium Patriis legibus, & Majorum Institutis, post peractam omnium Regni Ordinum, Varsaviæ, Mense Februario, Convocationem, communi eorundem Ordinum consensu, die Electioni 20. Aprilis, anno præsentis 1674. decreta, ad famam celeberrimi Actûs quasi dato classico, & erecto virtutis tropheo externorum Principum vota & cupidines, in campo Libertatis Polonæ, insigni meritorum & officiorum erga Rempublicam certamine, sua quisque decora, in publicum commoda, & dona ferentes, ultrò prodiêre. Verùm proximi Interregni effuso ambitu, & Partium studiis, animorumq; diffidiis Respublica solertior, nec futuri socors firma an dubia promitterentur, secum meditari, an vetera & recens parta Sarmatiæ decora, in Externorum possessionem trudere, an gloriam militarem, & Orbi vix auditum ex Turcis triumphum, fusumq; bellis sanguinem, in purpuram otiosi alicujus Principis transfundere, è præsenti statu videretur. Scilicet aliquis caritatem Patriæ statim accipiat, non suæ & inimicæ adeò Genti famæq; suæ sola Polonia sit, ut Exteris magis, quàm suis faveat, utq; reperta in Regno hoc virtute novæ potentiæ hospitem superbire patiatur. Vertit exinde cogitationem in Cives, & impositam arcani specie contumeliam, non posse Reges Poloniæ, nisi extra Poloniam natos creari, quod priori Electione cæptavit, tandem iterum abolevit. Neque in-

ter Cives diu quæsivit, quem Civibus præponeret, non enim incerta & suspensa hæc electio, non cunctationi locus, cum in hac licèt æqualitate Nobilitatis Nostræ, supra æquales Herois virtus, præemineret, ergo ora omnium & studia libenter ac divinitùs planè versa in Supremum Regni Mareschalcum, Generalissimum Exercitûs Ducem JOANNEM SOBIESKI, admiranda Viri virtus, Mareschalci Suprema in Aula potestas, cum armorum dictatura, Senatoria amplitudo, cum civili modestia, natalium & fortunam exuberans splendor, cum obvia comitate incomparabilis prudentia, invicta fortitudo, in Deum pietas, in concives amor, in dictis factisq; constantia, in ipsos etiam hostes fides & clementia, ac quidquid de Heroe summum dici potest, aureas veluti compedes omnium animis & linguis adeò imposuêre, ut eundem nullo ambitu, non præcipitato consilio, sed maturâ, & tertium in diem protracta expensaq;, deliberatione, Senatus Populusq; Polonus, & M. Duc. Lithuaniæ, concordibus votis & suffragiis, Regem suum dicerent, eligerentque. Sanè militavit in SERENISSIMI ELECTI decus, in liberrimæ Electionis fidem, ac æviternam Electoris populi laudem, non una die, neque seriore vespera, aut in umbra noctis, nec uno fortuito impetu transactum ingens sæculorum negotium: fas enim minimè erat Heroëm sæculi, momento temporis, ut velut aleæ jactu in Regem evadere, cùm nec una nocte generari Herculem, vetere scito antiquitas prodiderit: atq; Electionem in aperto sub Jove libero, media luce sincerius enitescere decuerit. Quin & ipse Serenissimus Electus Nominationem in tertium diem protelari modestè tulisse imò ambivisse visus, ne subita facilitas suspecta judicio detraheret, & certiore argumento Orbis in fidem impelleretur, procul ambitu & corruptæ libertatis invidia Electum, qui taliter eligeretur. An & destinato Superûm consilio ttiduum integrum à Sabbatho, ad diem Lunæ hæc trutina duravit, quasi cæpta Sabbato Chocimensis victoria, tertia demum die post cæptam Arcem Chocimen-

cimenſem victoriam claudens, Regalis hujuſce adoreæ augurium feciſſet, & auſpicato omine, trinus Electionis dies JOANNIS Tertii Regis Nomini alluſiſſet. Munivit ad coronam aditum firmavitq; huic Sereniſſimo Electo ſuffragiorum favorem inclyta bellorum gloria, dum primus Polonorum monſtravit poſſe ſtataria pugnâ pernicitatem Scithycam omnibus retroacti mundi Monarchis gravem cohiberi, poſſe formidandas Turcarum phalanges uno ictu frangi & deleri. Ut vetera militiæ rudimēta, quæ ductu & auſpiciis alienis in Suecos, Moſchos, Boruſſos, Tranſylvanos, Coſaccos fortiter & gloriſè geſſit, ſileantur, ut receptæ & Coſaccis ſexaginta circiter Civitates minùs in ore famæ verſentur: tamen hæc crebra & proſpera prælia, maximis poſt hominum memoriam victoriis præludium fuere. Inundaverant ante ſexennium prædatoriis turmis Podoliæ oras Scythicæ myrriades, omnia ferro & flamma latè ſternebantur, cum parva tunc manus ac laceræ legiones impetu hoſtili non ſufficerent, noſter tamen cedere neſcius, novo bellandi conſilio ſe Podhaieci anguſta arce & tumultuaria munitione incluſit, quo ſævitiam in viſcera Regni feſtinantem excluderet. Ita eluſus & fractus Barbarus Pacis leges accepit, quaſi ad id tantùm irruiſſet, ut Sereniſſimo Electo victoriæ materiam, gloriæq; ſegetem afferret. Poſteriore quadriennio, ſingulos imperii bellici annos, inclytæ ex Coſaccis & Tartaris ſimul junctis SOBIESCIANÆ victoriæ inſignivere, recepta ex hoſte Coſacco, quam latè inter Hyppanim & Tyram protenditur urbibus & bellatotore populo validiſſima Braclavienſis Provincia, ac ſupra fidem planè ſunt, quæ annis abhinc duobus Sereniſſimus Electus, poſt occupatam Kameneciam, Leopoli obſidione cincta, interritus, vix trium millium Exercitus Polonici audaciâ & fortitudine, ad miraculum planè peregit, cùm quinque dierum & noctium continuo curſu, abſq; ullo cibo, herbis duntaxat Sylveſtribus vitam trahendo, Tartaros adortus, Natulum, Niemieroviam, Komarnum, Kaluſiam obſcura quondam

oppidorum vocabula, ingentibus Barbarorum cladibus illuſtravit, tres Crimenſes Soltanos è Regnatrice Giercia domo occidit, & robur illud Scytharum, adeo protrivit, ut poſterioribus hiſce annis recipere animos, & vires recolligere nequiverint. Sed victorias omnes præteriti autumni vicit felicitas: cum famoſæ olim ad Chocimum munitiones, quadraginta Turcarum millibus occupatæ, & firmatæ, in quibus ante tres & quinquaginta annos, totius Imperii Ottomanici ex Aſia & Europa coactas vires Poloni ſuſtinuerant, & retuderant, nunc unicæ poſt DEUM Imperatoriæ virtuti, & prudentiæ Sobieſcianæ, paucas intra horas ſuccubuêre. Quippe ille vigilias obire, Stationes ordinare, tormentorum bellicorum apparatum præſens inſpicere, militem fame cæliq; injuriis, & pertinaci in tertium diem ſtatione fatigatum, manu, voce, vultu accendere, ille quod maximè ſtupendum pedes ante pedeſtres Legiones ad vallum penetrare & eniti & devotum pro DEO & Patria caput in aleam fati mittere, palmarium duxit, moxq; atrociſſimam, intra munimenta Caſtrorum ſtragem edidit, cùm deſperatio Turcarum acueret virtutem, & ipſe fortiſſimi & providi Ducis omnia munia impleret, quo tempore tres Baſſæ occiſi, quartus vix effugiô Tyræ vortices ſuperavit. Cæſa internetione Janizarorum octo, Spachiorum ſelectiſſimorum, præter militare vulgus, viginti millia, Caſtra cum omni apparatu & tormentis bellicis ex Aſſiriis, ac Phrygiis luxuriantis Aſiæ operibus capta, ac direpta, famoſa Chocimenſis arx, Pons per Tyram, ac utrinque firmiſſima inſtar Arcium propugnacula additamentum victoriæ fuêre. Quidni ergo tam inclyta & heroica virtus, digniſſimo diadematis præmio coronetur? Præivit Nobis exemplo tota olim Chriſtianitas, quæ ad recuperationem Ieroſolimorum Duce Godefredo Bullioneo, excita, Regnum illud eidem ſponte detulit; eò quod primus mænia urbis conſcenderit. Non inferior gloriâ Sereniſſimus Electus noſter, primus quoque binum hoſtile vallum ſuperavit. Ornat inauditam à multis retrò ſæculis

lis victoriam ipsius temporis momentum, quô Serenissimus Rex Michaël pridie vitâ excesserat, veluti commonstrans, se tantæ virtuti ultrò cedere, ut suis jam auspiciis ille Victor, à galea ad coronam, à capulo, ad Sceptrum à cespite Castrensi, ad Regale solium, tantò gloriosiùs transiret. Revocavit Respubl: gratam sibi, ac nullo temporis vitio obliterandam memoriam inclyti Parentis Illustrissimi & Excellentissimi olim Jacobi Sobieski Castellani Cracoviensis, Viri cum cura scribendi, qui laureâ suadæ in togatis Reipubl: consiliis in arena Martis invictâ dexterâ, fortunam Remq;publ: toties auxerat & gentilitio plane scuto suo protexerat. Neq; sine Numine evenisse credamus, ut quo loco, tribus ab hinc & quinquaginta annis Magnus Parens, Reipubl: Polonæ Legatus, Pacem & Pacta cum Osmano Turcarum Imperatore sanxerat, Maximus Filius, cælo ipso perfidiam hostibus exprobante, abruptæ pacis scelus, vindice ferro ulcisceretur. Cæteri Avi & Proavi ac innumera Clarissimorum Senatorum & Officialium nomina lucem velut Serenissimo Electo prætulêre, æmula maternæ stirpis magnitudine & gloria, præsertim Stanislai Zołkievii Supremi Cancellarii Regni & Exercituum Imperatoris, cujus Sarcophago proximis campis, in quibus ille rabie Turcica, Anno 1620. occubuerat, tam insigni hostium strage victor Nepos parentavit. Congeminavit avitam gloriam ornatissimi Avunculi Stanislai Danilovicii, Palatinidæ Russiæ immortalis virtus, & fatalis pro Patria, anno 1635. occasus: quem egregius & juvenilis ardor bellicæ laureæ avidum & pacis, cui tunc secura Polonia altum indormiebat haud tolerantem Tauricanos in campos privatis opibus, viribusq; ultrò propulerat, ut vetere illa Martis Poloni eruditrice arena, per vestigia sua Sobiescianis Meritis iter signaret, atq; Nobilissimo Sanguine ipsius Cantimiri Tartarorum Hani dexterâ, in ultionem occisi Filii mactatus, purpuræ jam præsenti fulgorem commodaret. Neque excidit Populo Polono Illustrissimus olim Marcus Sobieski, Serenissimi Electi Nostri Germanus

nus natu major, qui profligatò à Barbaris ad Batoum Exercitu Polono, etſi evadendi non deeſſet occaſio, maluit tamen magnæ cladi fortiſſimorum Virûm immori, & victima pro Patria occumbere: quàm indecoro receptu mercari vitam: an forte ita diſponentibus Divinis Judiciis, quibus res & perſonas interire, cauſas & eventus eoſdem recurrere ordo eſt: ut repetito Huniadum fato major ſummæ indolis frater, miſeranda cæde ſubmotus, minori ſuperſtiti ad Thronum Regium, expeditiorem viam relinqueret. Quòd igitur Orthodoxæ Reipublicæ noſtræ, ac uniuerſæ Chriſtianitati felix, fauſtum fortunatumq́; ſit, tam eximiis dotibus, meritis, & ſplendoribus cumulatiſſimum JOANNEM in Zołkiew & Złoczow SOBIESKI, Supremi Regni Mareſchalcum, Generaliſſimum Exercituum Ducem, Mævenſem, Barenſem, Stryenſem, Javorovienſem, Kaluſienſem, Gubernatorē, liberis, concordibuſq́; votis, vocibus & ſuffragiis, nemine contravenien- te, omnibus conſentientibus, & applaudentibus, pro Jure liberæ Electionis vocatorum non comparentium, abſentia non obſtante, nullo privato reſpectu ducti: ſed DEI duntaxat gloriam, priſcæ religionis Catholicæ incrementum, Reipublicæ ſalutem, ac Gentis Nominiſq́, Poloni dignitatem, præ oculis habentes in Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Vołhyniæ, Podlachiæ, Podoliæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæq́; eligendum, creandum, nominandum duximus, prout elegimus, creauimus, renuntiavimus, nominavimus, me prædicto Epiſcopo Cracovienſi, vacante pro tunc Archiepiſcopali Sede, Munus, & Prærogativam Primatialem exercente, & de conſenſu omnium Ordinum, per trinam Interrogationem, à nemine impugnatam, ab omnibus & ſingulis approbatam, Electionem concludente. Bona fide promittentes; quod eidem Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi Domino JOANNI III. Regi Noſtro, eandem fidem, ſubjectionem, obedientiam, & obſequia debita ſecundùm Jura & libertates noſtras, ſem-

per

per exhibebimus, quam Divis suæ Majestatis Prædecessoribus exhibuimus. Tùm etiam quod eundem Serenissimum, in Comitiis proximis Cracoviæ, eo fine celebrandis, tanquam verùm Regem & Dominum Nostrum, Regio Diademate, quô Reges Poloniæ coronari solent, insigniemus, & de more, quem Catholica Romana Ecclesia in erigendis, & inaugurandis Regibus, antehac servavit, ungemus & inaugurabimur: Ita tamen si primùm omnium Jura, immunitates Ecclesiasticas & Seculares, per Divos Antecessores Nobis concessas, & donatas, & quæ nos ipsi præteritorum, & præsentis Interregni tempore, pro Jure libertatis nostræ, Statuq; Reipublicæ, meliùs conservando, sancimus, manutenebit, & observabit. Si præterea idem Serenissimus electus, conditionibus à Nobis cum Legatis suæ Majestatis conclusis, ante exhibitionem præsentis Decreti Electionis, se satisfacturum juramento obstringet, & literis suis authenticis omni meliori modo cavebit. Quod quidem Decretum Electionis nostræ, auxilio Divino exequi cupientes, de communi concordia nostra, ad tradendum illud in manus Serenissimi Regis Electi, mittimus cum Illustrissimo Domino Episcopo Cracoviensi, nonnullos Senatores, & Officiales, & Illustrem ac Magnificum Benedictum Sapieha M. D. L. Curiæ Thesaurarium, Equestris Ordinis Mareschalcum. Committentes illis id ipsum Decretum intimandi, juramentum super præmissis ab ipso & subscriptionem recipiendi: tum demum in manus ejusdem Electi ipsum Decretum dandi & tradendi, ac cætera, quæ hoc ipsum negotium requirit agendi & perficiendi. In cujus rei fidem præsentium Dominorum Senatorum, & ex Equestri Ordine ad sigillandum deputatorum, Sigilla sunt appensa. *Datum per manus Illustrissimi & Reverendissimi in Christo Patris Domini Andreæ Olszowski, Episcopi Culmensis & Pomesaniensis, Pro-Cancellarii Regni, in Conventu Electionis Novi Regis Generali Ordinario Regni, & M. D. Lit. ad Varsaviam. Die 22. Mensis Maij. Anno Domini 1674.*

XIX. Poſt peractam Coronationem Regiam, Jus quoddam primæ gratiæ â Regia Majeſtatę, pro Domo Archiepiſcopi çoncedendæ, uſus induxit.

Çarncovius Sigiſmundi III. Coronator, Palatinatum Derpatenſem, & Capitaneum Odolanovienſem.

Wężyk Vladislai IV. Capitaneatum Siradienſem & Vartenſem.

Lubinſki Joannis Caſimiri, Caſtellanatum Siradienſem, & Capitaneatum Przedecenſem.

Prazmowſki, Michaëlis, Palatinatum Plocenſem, Secretariatum Magnum.

Olſzowski, Joannis III. Palatinatum Ravenſem, & Capitaneatum Vielunenſem, gratioſa præmia à Regibus accepêre.

XX. Funera item Regum in Eccleſia Cathedrali Cracovienſi, & ubivis celebrare, indubitati juris eſt & præſcripti uſus Archiepiſcopi Gneſnenſis, tanquam Ordinarii, ſive ut ajunt proprii Parochi Regis & Reginæ: quemadmodum in terminis deciſum fuiſſe teſtatur. *Gervas: Chron: Actor: Cantuarien: fol: 1691.* Ne prolixè antiqua repetamus, noſtrâ memoriâ funus Regis Sigiſmundi III. & Reginæ Conſtantiæ Auſtriacæ, duxit peregitq; Joannes Wężyk Archiepiſcopus: Vladislai & Ceciliæ Renatæ, Mathias Lubienski; Ludovicæ Mariæ, Nicolaus Prazmowski: Joannis Caſimiri, & Michaëlis Regum, Andreas Olſzowski.

XXI. Juriſdictio Primatialis Metropolitana, & Legationis Natæ Gneſnenſis, latiſſimè extenditur: per totum Regnum Majoris & Minoris Poloniæ, & per Magnum Ducatum Lithaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ Vratiſlavienſem in Sileſia, Lubiſſenſem in Marchia Brandeburgica, oras & Diœceſes, atq; omnes alias Regno annexas & incorporatas, ac etiam à corpore Regni quomodolibet avulſas Provinçias: quam Epiſcopi omnes Suffraganei, atq; ipſe Archiepiſcopus Leopolienſis agnoſcit. *Ab Epiſcopis* (inquit *Cromerus de Republ: & Magiſtratu Polonorum lib: unico fol: 108.*

in cor-

in corpore Historiæ Polonæ) eorumque vices gerentibus provocatio est ad Archiepiscopos. Et ad Gnesnensem quidem ab ipso etiam Leopoliensi Archiepiscopo, idq; eo nomine, quod ille est Legatus perpetuus, sive ut vulgò loquuntur, Natus Sedis Apostolicæ. Pertinent autem ad ejus Provinciam hi Episcopi, Cracoviensis, Vladislaviensis, Posnaniensis & Plocensis in Polonia, Vratislaviensis in Silesia Boemicæ ditionis Lubussensis in Marchia Brandeburgica, Vilnensis, in Lithvania, Mednicensis, in Samogitia &c. *Et infra fol: 113.* Hîc illud modo notandum est, quod licet Archiepiscopus Leopoliensis, suam habet Provinciam à Gnesnensi distinctam, tamen & ipse, & (ut vocant) Suffraganei ejus Episcopi, Gnesnensis Archiepiscopi authoritatem agnoscunt: cum in provocationibus & judiciis, tùm in Synodis, ad quas ab illo evocantur.

Exinde alicubi nuncupatur vicetenens Papæ per Sarmatiam, testimonio Alexandri Guagnini Veronensis, qui in descriptione Sarmatiæ, de Rege Poloniæ & Senatu fol: *36.* in corpore Hist: Poloniæ. *Archiepiscopi* inquit *duo sunt in universo Regis Poloniæ imperio, Gnesnensis Regni Primas, & Legatus Natus, Romani Pontificis in Sarmatia vicem tenens &c.*

XXII. Eo nunc loci demonstrandum venit Vratislaviensem Ecclesiam & Diœcesim, ejusq; Episcopum, & universum Clerum, ac populum, ad Provinciam Gnesnensem, ad Metropolitanum ac Primatiale Jus & Jurisdictionem Archiepiscopi Gnesnensis omninò pertinere. Documento sunt ex Archivo Capituli Gnesnensis.

Breve Calisti Papæ.

CAlistus Episcopus, Servus Servorum Dei Dilecto Filio Nicolao Spiczymirio Cantori Ecclesiæ Cracoviensis, Decretorum Doctori, Apostolicæ Sedis Nuncio, fructuum, redituum, & proventuum Cameræ Apostolicæ, in Regno Poloniæ, ac Provincia Gnesnensi, ejusq; Civitatibus & Diœcesibus

ceſibus Collectori, Salutem & benedictionem. Officii Noſtri cura exigit, ut ſic literas, quæ à Nobis emanârunt ad rationis tramitem reducamus, ut nulli exinde falcem, in meſſem alienam ponendi, vel alia malignandi occaſio tribuatur. Dudum ſiquidem per alias noſtras literas ſub dat: decimo Kal: Auguſti, Pontificatûs Noſtri anno tertio, Dilectum Filium Henricum Roratt. poſtulatum Eccleſiæ Litomisleń, Acolitum Noſtrum, in Provincia Pragenſi ejuſq; Civitatibus & Diœceſibus, necnon in Diœceſi Vratislavienſi denarii S. Petri, ad fructuum, redituum, & proventuum Cameræ Apoſtolicæ debitorum Collectorem, & Generalem Receptorem, uſque ad Noſtrum & Apoſtolicæ Sedis beneplacitum fecimus, conſtituimus & deputavimus revocando omnes alios & ſingulos hujuſmodi Collectores & Receptores in præfatis Provinciæ Civitatibus ex Diœceſibus ac Diœceſi Vratislavienſi per nos, aut quacunq; alia Authoritate deputatos, ac eis conceſſas Commiſſiones, præfatoq; Henrico, per ſe vel alium nonnulla tunc expreſſa faciendi plenam & liberam facultatem concedendo, prout in eiſdem literis, quarum tenorem, acſi illæ de verbo, ad verbum inſererentur, præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pleniùs continetur. Cùm autem ſicut literis Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri, Caſimiri Poloniæ Regis Illuſtris, per eum Nobis ſuper hoc deſtinatis, ac etiam ex plurium fide dignorum relationibus fuimus certiores effecti, quòd eadem Diœceſis Vratislavienſis, non intra dictam Provinciam Pragenſem, ſed intra Metropolim Eccleſiæ Gneſnenſis, quæ in Regno Poloniæ conſiſtit, comprehendatur, Ducatuſq; Eccleſiæ dictæ Vratislavienſis Diœceſis, quondam fuerit pars dicti Regni Poloniæ, in quo tu Generalis Collector exiſtis. Et propterea ſi idem Henricus Officium Collectoris, ſeu Receptoris hujuſmodi in dicta Diœceſi Vratislavienſi exercere habeat diſſenſiones & ſcandala quàm plurima ſubſequi proh dolor! formidentur. Nos igitur ad quos pertinet ſuper his adhibere vigilantiæ noſtræ curas, motu proprio, non ad ipſius

Regis,

Regis, vel alterius super hoc nobis oblatæ petitionis Instantiam: sed æquitatis & honestatis debito suadente, & ex mera nostra libertate deputationem, Constitutionem, facultatem & literas nostras hujusmodi, & in eis contenta, ac inde secuta quæcunque quo ad præfatam Diœcesim Vratislaviensem, & quamcunque ejus partem authoritate Apostolica tenore præsentium ex certa scientia revocamus, cassamus, irritamus, & omnino juribus evacuamus, nulliusq; roboris vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus, præfatoq; Henrico necnon Succolectoribus, & aliis per eum forsan deputatis, vel deputandis districtius inhibemus, ne sub Excommunicationis, ac privationis officii prædicti, nec non Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent quæcunque, quotcunq; & qualiacunq; fuerint, & perpetuæ inhabilitationis ad alia, vel alia quæcunque similia, vel dissimilia Beneficia Ecclesiastica obtinenda pœnis, quas ex nunc in eos, & quoslibet ipsorum, si hujusmodi rebelles vel inobedientes fuerint, proferimus & promulgamus, prætextu prædictarum, vel quarumcunque aliarum literarum à Nobis, vel Sede prædicta emanatarum, vel de cætero emanandarum, in eadem Diœcesi Vratislaviensi aliquid attentare, vel ad illa se intromittere, quoquo modo præsumant. Volentes, quod officium Collectoriæ & Receptoriæ hujusmodi, per te, & tuos Succollectores, & non dictum Henricum, vel per ipsius deputatos, seu deputandos Succollectores, seu Receptores, in præfata Diœcesi Vratislaviensi exerceatur. Ac decernentes irritum & inane, quidquid secùs ab Henrico, vel Succollectoribus hujusmodi, seu quibusvis aliis, Apostolica, vel alia quavis Authoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenùs vel in posterùm contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram Revocationis, Cassationis, Irritationis, Evacuationis, Constitutionis, Declarationis, Inhibitionis, Pro-

S latio-

lationis, promulgationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quadringentesimo, Quinquagesimo, Octavo, quarto decimo Kalendas Maij. Pontificatûs Nostri, anno tertio.

A. Herrarii.

Breve Leonis Papæ.

LEo Episcopus, Servus Servorum DEI. Venerabili Fratri Archiepiscopo Gnesnensi, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad cumulum tuæ cedit salutis & famæ, si personas Ecclesiasticas, præsertim Pontificali dignitate præditas, Divinæ propitiationis intuitu, opportunâ præsidii ac favoris gratiâ prosequaris. Hodie siquidem Electionem dudum de persona dilecti Filii Jacobi, Electi Vratislaviensis, ad Ecclesiam Vratislaviensem, tunc per obitum bonæ memoriæ Joannis Episcopi Vratislaviensis, extra Romanam Curiam defuncti, Pastoris solatio destitutam: per dilectos filios Capitulum ipsius Ecclesiæ Canonicè celebratum, de Fratrum Nostrorum Consilio, authoritate Apostolica approbavimus, & confirmavimus. Ipsumq; Jacobum Electum eidem Ecclesiæ præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in Spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, prout in nostris inde confectis literis pleniùs continetur. Cùm igitur ut idem Jacobus Electus, in commissa sibi præfatæ Ecclesiæ cura faciliùs proficere valeat, favor tuus sibi noscatur plurimum opportunus: fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attentè, per Apostolica scripta Tibi mandantes: quatenus eundem Jacobum Electum, & præfatam Ecclesiam sibi commissam Suffraganeum tuum habens, pro nostra, & Apostolicæ Sedis reverentia, propen-

pensiùs commendatos, in ampliandis & conservandis ejusdem Ecclesiæ Juribus sic eos tui favoris præsidio prosequaris, quod ipse Jacobus Electus, per tuæ auxilium gratiæ, possit se in cōmisso sibi dictæ Ecclesiæ Regimine utiliùs exercere, Tuque Divinam misericordiam, ac nostram & ejusdem Sedis Apostolicæ benevolentiam valeas exinde uberius promereri. *Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, vigesimo primo, Nono Kalendas Augusti, Pontificatûs Nostri, anno Nono.*

Ioannes de Radicibus.

Iuramentum Petri Episcopi Vratislaviēsis Archiepiscopo Gnesnēsi præstitū.

IN Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejusdem Millesimo, Quadringētesimo, Quadragesimo Septimo, Pōtificatûs Sāctissimi in Christo Patris & Domini N.D. Nicolai, Divina Providētia Papæ Quinti, Anno Primo, Indictione Decima, die verò solis vigesima secunda, Mensis Octobris, finito officio Summæ Missæ in Ecclesia Vratislaviensi, ante summum altare ejusdem, in Reverendorum in Christo Patrum & Dominorum, Dominorum Joannis Naturen: Consecrantis, Joannis Bardens, & Ruchardi Sumbaliens, sibi assistentium Episcoporum, meiq; Notarii Publici, ac Testium infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter & rogatorum præsentia, constitutus personaliter Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Petrus Episcopus Vratislaviensis consecratus, post impensum sibi munus Consecrationis, exigente Domino, Domino Joanne Episcopo Naturen: consecrante, juramentum in manibus ejusdem præstitis, flexis genibus, & tactis Sacrosanctis Evangeliis contentum in charta pargamenea, Sigillo Reverendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Vincentii Sanctæ Ecclesiæ Gnesnensis Archiepiscopi & Primatis dignis-

ſimi appreſſo conſignata: tenore, qui ſequitur de verbo ad verbum, & eſt talis. Ego Petrus Epiſcopus Vratislavienſis, ab hac hora ut antea fidelis & obediens ero Beato Adalberto Martyri & Pontifici glorioſo, Sanctæ Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis, ac Domino meo Reverendiſſimo, Domino Vincentio Archiepiſcopo Eccleſiæ ipſius Gneſnenſis & Primati, necnon Sancto Petro, Sànctæq; Romanæ Eccleſiæ & Regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines, vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione, Legatum Sedis Apoſtolicæ, quem certum eſſe cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo, Liminaq; Sancti Adalberti & Eccleſiam Gneſnenſem ſingulis annis per me: aut per certum Nuntium, niſi Metropolitani abſolvar licentiâ, viſitabo. Sic me DEus adjuvet, & Sancta Dei Evangelia. Quo juramento & ſupra eo ſic ut præmittitur per omnia præſtito, prætactus Dominus Joannes Epiſcopus Naturen: Conſecrator ſibi à me Notario publico confici & fieri petiit unum vel plura, ſeu quotquot neceſſarium, ſeu neceſſaria, publicum, ſeu publica, Inſtrumentum, ſeu Inſtrumenta. *Acta ſunt hæc annis à Nativitate Domini, Pontificatus, Indictione, die, horâ & loco, quibus ſupra. Præſentibus ibidem Venerabilibus Egregiis & honorabilibus Viris, Dominis, Nicolao de Brega Magiſtro Cantore, Gaſpare Bergil, Licentiato in Sacra Theologia, Cancellario, Iaroslao Kakolowski, Canonicis Eccleſiæ Vratislavienſis, Ioanne Barde, Præpoſito Collegiatæ Legnicen, & Romano Vice-Decano Gneſnenſi, Eccleſiarum, aliaq; Cleri & populi multitudine copioſa, Teſtibus ad præmiſſa.*

Locus Sigilli.

Et ego Petrus Coller de Wartemberg Clericus, Vratislavienſis Diœceſis, Publicus Imperiali Authoritate Notarius, quia prædicti Juramenti exactioni, factioni, aliiſq; omnibus & ſingulis

gulis præmissis, dum prout præmittitur agerentur & fierent, unà cum prænotatis Testibus præsens fui, eaq; omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præsens publicum Instrumentum, per alium, me arduis occupato fideliter ingrossatum, & manu mea propria subscriptum exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, signo & nomine meis solitis & consuetis signavi, rogatus & requisitus, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Epistolæ binæ Caroli Archi-Ducis, Episcopi Vratislaviensis, ad Archiepiscopum Gnesnensem.

Carolus Dei Gratia Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Administrator Magni Generalatûs Prussiæ, Magister Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam, Episcopus Brixinensis, & Vratislaviẽsis, Comes Hasburgi & Tyrolis &c.

ILlustrissime & Reverendissime Domine, Amice charissimè. Provocavit Nos Reverendissimam D. V. hisce nostris compellare literis, tùm ea, quam Sedi Metropolitanæ antiquitùs debemus connexio, tùm etiam Reverendissimæ D. V. quam ex Generoso, Magnifico, Fideli Nobis Dilecto Sigismũdo Opacki de Opaka, Regiæ Poloniæ & Sueciæ Majestatis, & Dilectis Camerario, & Supremo Stabuli Præfecto, necnon Nostro Camerario, uberrimè accepimus, pia prorsus & Paterna erga afflictam Ecclesiam Nostram solicitudo. Experimur etenim quanta industria hostes Religionis Catholicæ ad opprimendum sese conjungant: nec nos ad propulsandum alia Methodo potentiùs accingi arbitramur, nisi ea quàm superna unitas cunabulis Episcopatûs nostri Vratislaviensis primitùs indiderat vicissim coälescente, quam in rem sedulo & antiquioribus incumbemus curis. Præterea censemus Illustrissimam D. V. ab-

undè perſpexiſſe, quo in diſcrimine Eccleſia Noſtra Vratislavienſis, quinimo totus qui Supereſt Catholicus ſtatus, calamitoſo hoc furiarum hæreticarum ſeculo volvatur, & quemadmodùm virus peſtilentiſſimum ſeditionis & perſecutionis, ad funeſtam Catholicorum extirpationem dictu graviùs ſerpat & invaleſcat. Non adeo quod diverſos ritus noſtrates ſectari ſtudeant: ſed magis ut illius prætextu ad Bona Eccleſiaſtica aditum ſibi parent, ea diripiant, rem ſuam per illa augeant, atq; hanc Patriam, quæ olim pro Romana Eccleſia ſæpè arma contra Huſſitas induit, affligent, confundant, graviſſima ruinâ involuant. Incredibile enim eſt quanta inſania Principes, præſertim hujus Provinciæ in Bohemicas rebellionis tendiculas prolabantur, in perniciem Regis legitimi, & everſionem Religionis Catholicæ conjurent, articulos verò Sacrilegos quibus Magiſtratum tam Eccleſiaſticum, quàm ſæcularem obruere geſtiunt, unanimi ſuffragio conſtituant: quemadmodùm Reverendiſſ. D. V. ex incluſo Concluſionum Bohemicarum exemplo fuſiùs intelliget. Et niſi Chriſtianorum Regum ac Principum potentiâ comprimantur, brevi futurum, ut nulla ſit ſubditorum erga Principes, & Antiſtites obedientia, nullus ordo, nulla ſuperioritas, nulla religio, niſi quàm peſſimus quiſq; pro libidine animi ſuſceperit, quæ clades finibus noſtris adeò vix coercebitur, quin etiam ad vicinum Poloniæ exuberet, atq; erumpat Regnum. Cui ut peſtifero, ità communi malo, extrema hac rerum viciſſitudine aliundè faciliùs & tutiùs occurri poſſe non videmus, quàm ex tutelari patrocinio contermini Poloniæ Regni. Inde etenim orbata noſtra Eccleſia defenſionem jure quaſi ſuo expetit, unde olim fundationem accepit, nec fieri poſſe autumat, ut mater filiæ ſuæ oblviſci, multò minùs eidem deeſſe unquàm poſſit. Qua fiducia in R. D. V. innixi, conſilium quod ſeſe rebus ſic afflictis inſinuat, eidem exponere, trutinæ & cenſuræ ejus porrigendum duximus. Duces noſtrates, qui non ità imitatores, quàm authores turbarum Bohemicarum contra Regem
ſuum

suum sese exhibent, Telonia commissa, ut vasalli omnibus suis feudis de Jure exciderunt. Executio desideratur, quæ non incongruo forsitan contingere posset modo. Conclusum est proxima Vratislaviensi dicta: confinia Silesiæ Regno Poloniæ contigua, omni ex parte fossis & fortificationibus circumdare,. Est autem circa eosdem limites hujusmodi confusio: ut undequaque in incerto, & in lite consistant, quod etiam nullo in loco absq; cõtroversia præjudicio & læsione finitimi fundi, illud ipsum effici valeat. Quo quidem ex opere veluti novo & suspecto, non modo inclytum Poloniæ Regnum injuriam allegare, verùm etiam illi, qui in limite Regni habitant, de fundorum suorum dispendio justam querelam & gravamen depromere possint. Sub hac ansa Serenissimus Rex Ferdinandus, offensis illis Regni Poloniæ incolis, vel certè aliis, qui ad hoc negotium aptiores videantur, irruptiones in possessiones Principum conterminas: pro executione eâ committere lege: ut juribus & sumptibus suis feuda Juris & facti, dispositione caduca occuparent, & tamdiu eadem (subjectione tamen Regi Ferdinando salva) usurparent; quoadusque refusionem cum lucro inde excerpere & reportare possent. Super quo quidem antequam cum Serenissimo Fratre Nostro, Rege Ferdinando, ea de re quidquam communicemus: Nobis priùs Reverendissimæ D. V. implorandum duximus & prudens consilium, & præsens auxilium. Præterea Reverendissimam D. V. enixè rogamus: ut eâ quâ plurimum pollet & potest authoritate, imò celebri suo in protegendo Divino cultu fervore, & in Ecclesiam Nostram, jam jam præcipitantem, patrocinio, Serenissimum ac potentissimum Principem Dominum Sigismundum III. Regem Poloniæ & Sueciæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ, ac Prussiæ, & Dominum affinem, & Patrem Nostrum observandissimum, eo disponere, & eo hortari non intermittat, ut sua Majestas Regno suo appropinquantem & minitantem, tam ingentem Christianæ Religionis cladem grassari, & tam pia avorum suorum, ad æviternam Dei glori-

gloriam à ſtirpe fundata Sacraria, poſſeſſiones & bona, à Religioſiſſimis Principibus, locis ſanctis, & perſonis Eccleſiaſticis collata, nefandis applicari & miſerè diſtrahi utilitatibus, non conniveat, quin potiùs pro Regia ſua virtute, omni quo poſſit modo, atq; ſtudio adniti dignetur: ut in cauſa Religionis, & Sereniſſimi Regis Ferdinandi, quæ non modo ob ſanguinis conjunctionem: verùm etiam ob loci vicinitatem, & contagionis periculum, maximè ad eandem pertinet: brachio, & viribus ſuis, quibus ad defendendam Eccleſiæ ſalutem, cum inclytis Regni ſui Optimatibus, à Deo præ multis aliis mundi Rectoribus, cumulatiſſimè adaucta exiſtit, maturè ſuccurrat. Sereniſſimam Domum noſtram unicam hiſce in partibus Religionis Catholicæ altricem, pro ea quæ in Sereniſſimam Poloniæ progeniem redundat ſucceſſione, hæreditariis Regnis & Dominiis ob Cauſam DEI tam turpiter & immeritò exui non admittat. Nos viciſſim non modò erga Majeſtatem ſuam Regiam, verùm etiam erga Rñdmam D. V. cui omne quidquid inde in effectu boni & pii in communem Religionis Cauſam derivabit, gratum & acceptum referemus, cum tota Sereniſſima Familia Noſtra, omni quo par eſt ſtudio & officio rependere enitemur. Datæ in Civitate reſidentiæ Noſtræ Epiſcopalis Niſſa 14. Auguſti 1619.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dñationis Veſtræ.

Amicus Sincerus Carolus.

mpp.

A tergo literarum.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Laurentio, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primati, Primoq; Principi, Domino & Amico noſtro chariſſimo.

Carolus Dei Gratiâ Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Vitembergæ, Adminiſtrator Magni Generalatûs Pruſſiæ, Magiſter Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam, Epiſcopus Brixinenſis, & Vratislavieñſis, Comes Habſpurgi, Tirolis & Gorithiæ &c. *Illu-*

Illustrissimæ & Reverendissimæ Domine, Amice Noster Charissime.

EOdem tempore redditæ, sunt nobis binæ à duobus Capitulis Nazianzenis, Vratislavienses literæ, alteræ à Capitulo Cathedralis; alteræ à Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ Crucis. Quibus quid in hac rerum perturbatione sequi, quamque rationem tenere debeant, & cum ab illis homagium Intruso Regi Bohemiæ, qui brevi Vratislaviam venturus dicitur, requiratur; quid sibi hac in parte faciendum sit, Consilium Nostrum exquirunt. Id totum, cùm ad universam Diœcesim spectet: cùm Illustrissima & Reverendissima D. V. communicandum meritò duximus, quam & Metropolitanum Nostrum agnoscimus, & singulari in dandis, capiendisq; consiliis, excellere prudentiâ non dubitamus. Proinde amanter ab ea requirimus, ut pro Metropolitani vigilantia, & pro suo in Nos, totamq; Serenissimam Domum Austriacam studio, quomodo utrique huic Capitulo, in præsenti negotio respondendum censeat, consilium suum Nobis impertiatur. Graviter quidem ab iis eo nomine peccatum est, quod inconsultis nobis, & sine scitu Nostro, eos articulos: quos detestari debuerant, juramento comprobârunt: nihilominus cum ad nos nunc confugiant, vix esse consultum videtur, ut quemadmodum priora: sic hæc quoque suo arbitrio agere permittâtur, sed hæc quidem non attinent, quidquid Illustrissimæ & Reverendissimæ D. V. videbitur, id amplectemur. Ut autem luculentiùs id, quod à Nobis petitur Illustrissima & Reverendissima D. V. cognoscat, eas ipsas literas, quæ nobis allatæ sunt, ad eum transmittimus. Avidè igitur responsum illius expectabimus: cui studia nostra deferimus, & felicissima quæque cum diuturna valetudine exoptamus. *Datum Varsaviæ, die ultima Mensis Decembris 1619.*

Illustrissimæ & Reverendissimæ D. V.

Amicus Sincerus CAROLVS.

STanislaus Łubienski, Epifcopus Plocenfis, Lib: 4. de rebus Silefiacis, Epifcopatum Vratislavienfem, Nobiliffimam Metropolitanæ Provinciæ Gnefnenfis portionem appellat. Ibidemque Silefiam à Regno Poloniæ, non ita avulfam effe: ut nullus ejus Provinciæ recuperandæ jurifq; afferendi locus relictus fit: quod nec præfcriptione auferri, nec privatis tranfactionibus interverti potuit. Epifcopatum Vratislavienfem, beneficio & libertate Regum Poloniæ fundatum, dotatumq; excutiendo omnia vetuftatis monumenta, Privilegia Epifcopatûs Vratislavienfis, univerfæ Silefiæ Jura, Principum vetufti ortus origines, illos omnes, fanguine Regum & Principum Poloniæ eorundem beneficiarios in lucem prodiiffe. Quidquid nunc Silefiæ Ducatus nomine continetur, cum Epifcopatu Vratislavienfi in ditione Regni, & Regum Poloniæ fuiffe Cafimirum Primum Regem Poloniæ Sedem Epifcopi, quæ primûm Smogoroviæ, deinde Bycynæ fuit, Vratislaviam tranftuliffe, Principes Silefiæ antiquitùs, nec non Epifcopum, Palatinum, Caftellanum Vratislavienfes, Comitiis Polonicis interveniffe Venceslaum Imperatorem, & Regem Bohemiæ, ad danda fubfidia nomine Ducis Silefiæ, contra quemvis hoftem, cum fexcentis lanceis, & totidem baliftariis Vladislao Jagielloni, Poloniæ Regi, in anno 1395. fædere obftrinxiffe. Duces Silefios eidem Vladislao, contra Cruciferos Bellum gerenti, anno 1414. (ad quod univerfos Regni Proceres exciverat) commilitaffe fcribit. *Et ibi: infrà.* Subeft & hactenus Epifcopus Vratislavienfis Jure Primatiali Archiepifcopo Gnefnenfi, & femper ejus Jurifdictionem agnovit, & dubiis adverfifq; rebus fuis patrocinium quoque expertus eft, ut cum Boleslaus Calvus, *anno 1257.* Thomam Epifcopum Vratislavienfem, templum Gorcenfe ritu Chriftiano dedicantem nefariè cepiffet, & in vincula conjeciffet: Fulco Archiepifcopus Gnefnenfis, impium Epifcopi violatorem diris devovit, confultoq; Summo Pontifice Alexandro IV. militiam Cruce Signatorum, per totam Provinciam, contra eum promulgavit,

atque

atque ad transactionem cum Episcopo ineundam compulit. Hujus Boleslai impium facinus, cum Henricus cognomento Probus, re ipsa turbulentus & Seditiosus Princeps, Vratislaviensis Dux æmulatus esset, ac circa annum Domini 1283. Thomæ II. Episcopo Vratislaviensi, illius, quem Boleslaus Calvus cæperat ex Sorore Nepoti, grandem pecuniæ Summam imperasset, eaque negatâ, ditiones Episcopi, & Sacri Ordinis invasisset, & mox Decimas omnes usurpasset: Jacobus cognomento Swinka, Archiepiscopus Gnesnensis, coacta Lenciciæ Synodo, de Sententia Concilii Provincialis, Henricum communione Christiani populi exclusit, ac Vratislavien: Civitati, cæterisq;, qui in ditione illius erant, sacris interdixit: nec antea pæna solvit, quàm Henricus Episcopo satisfecisset &c.

Successu temporis, cùm Joannes Rex Bohemiæ, occupatâ magna parte Silesiæ, Episcopo Vratislaviensi Nancero gravis esset, multisq; eum injuriis affecisset, demùm vitâ functô Preteslaus Pogorelicius Polonus gente Grimalius, Episcopus Vratislaviensis, nolens volensq; itâ transegit, & in Patronum Joannem Böemiæ Regem adoptavit, ut Jura Ecclesiæ Metropolitanæ salva manerent, quibus etiamsi maximè vellet Episcopus Vratislaviensis derogare non potuit, sed nec voluit quidem &c.

Et cùm aliquod exactis annis Carolus Quartus Imperator, idemq; Bohemiæ Rex, à Clemente VI. Pontifice Maximo contenderet, ut Episcopatus Vratislaviensis, Archiepiscopo Pragensi subijceretur, obstitit Casimirus Rex, ac per Legatum suum, Albertum Cancellarium Dobrinensem, à Pontifice obtinuit, ut jus Archiepiscopi Gnesnensis ratum esset &c. Addit ibidem Łubinius, nihil in Episcopatu Vratislaviensi, nihil in Silesia Poloniæ vicina, in statu Ecclesiastico novari posse: quod connexas illi, Regni Poloniæ Ecclesias & ditiones non afficiat, quibus certè Rex Patrocinium debet, nec permittere illi licet, ut Archiepiscopi Gnesnensis Primatialis prærogativa, & Jurisdictio violetur.

Stephanus Damalevicius de Archiepiscopo Gnesnensi *pag: 184.* Casimirus Rex ne Vratislaviensis Ecclesia, à Gnesnensis Archiepiscopi Jurisdictione abstracta, Pragensi, quemadmodùm contenderat Carolus IV. Imperator, & Rex Bohemorum, subijceretur apud Clementem VI. obstitit, quod obtinuit: itá ut hucusque eam Jurisdictionem Archiepiscopi Gnesnensis recognoscat: quod ex Andreæ & Martini Episcoporum Vratislaviensium Synodis, & Consilio Nationali, sub Stanislao Karnkowski, & literis Episcoporum Vratislaviensium, ad Laurentium Gembicki, & Joannem Wężyk directis perspicuum est. Idem memorat Joannem II. vulgò Janicum, ex Vratislaviensi Præsule, ad Archiepiscopatum Gnesnensem, ad Vratislaviensem Cathedram, translatos fuisse. Vratislaviensem Episcopum, in Senatu Poloniæ, proximè post Cracoviensem locum tenuisse.

Cromerus, Episcopum Vratislaviensem in Silesia, inter Suffraganeos Archiepiscopi Gnesnensis, recenset. Palàm item atque extra controversiam est, & ex Actis Consiliorum Provinciæ Gnesnensis, Episcopos Vratislavienses iisdem interfuisse: Archiepiscopos pro Metropolitanis & Primatibus suis agnovisse: reverenter prout Suffraganeos decet, observasse: posterioris ævi temporibus, ut ad Synodos accedant, Synodaliter commonitos fuisse.

Anno 1623. *Synodus Gembiciana Cap: 4. sic habet Episcopus Vratislaviensis &c.*

EPiscopus Vratislaviensis, cùm ab origine suæ fundationis, ad Provinciam Metropolis Gnesnensis, cum suo Venerabili Capitulo pertineat: & Reverendissimi olim piæ memoriæ Episcopi Vratislavienses, in Superioribus Synodis Provincialibus interesse, legitimè non impediti, pro suo munere soliti fuerint. Cavet præsens Synodus, ne per

hoc

hoc, quod Serenissimus & Reverendissimus Dominus Episcopus modernus, propter præsentia turbatissima tempora, ex remotioribus ab Episcopatu locis, ad Concilium præsens Provinciale commodè venire non potuerit: nec Nuntium etiam parem ei legationi rectè obeundæ sine periculo mittere, Juribus Ecclesiæ Metropolitanæ & Primatialis præjudicetur: & ne in posterum ab Ecclesia Vratislaviensi, quam Sancta Sedes Apostolica Metropolitanæ Gnesnensi adjunctam esse voluit, debitum hoc ex veteri instituto Provinciæ officium intermittatur. Ac ut ea, quæ in præsenti Synodo, ad communem usum Provinciæ ordinata & sancita sunt, in Diœcesi Vratislaviensi, quantùm maximè in Domino fieri potest, ex auctoritate illa ordinaria observentur fraternè præsens requirit Synodus. Quem ad finem ab Illustrissimo Domino Primate, Constitutiones ejusdem Synodi ad Ecclesiam Vratislaviensem transmitti debebunt.

XXIII. Nec refert quod terra Silesiæ avulsa sit, & seorsivis hodie distincta limitibus, à Regno Poloniæ. Licèt enim Principes Laici, diversis temporibus Civitatum & Provinciarum fines aliter distinxerint, quàm olim essent, non ex hoc fuerunt mutati fines Provinciæ, & Jurisdictionis Ecclesiæ semel assignati: quod servandum esset in posterum, si nova sequeretur distinctio, juxta disposita *in Can: Lege Imperatorum. 10. dist: ubi gl. 1. & Gemin: in 4. & Præpos. in 6. notat.* latè decisum in Virdunen: Electionis Episcopatus *15. Novembr: 1695.* coram Card: Lancelato. Unde est quod non procedit illatio, à situatione, seu finibus territorii temporalis, ad situationem, seu finem territorii Ecclesiastici, in quem sensum accipienda sunt verba Gelasii in *Can: Licet: in Regulis, ad fin: 1694.* & planè per exempla demonstrant, *Beror: Consil: 22. num: 10. Lib: 3. & Menoch: Consil: 859. num: 3. & 4.* Item si unam Provinciam in duas dividi contigit, non per hoc erunt duo Archiepiscopi Metropolitani: sed unus sicut anteà, ut *in dict: Can: Lege Imperatorem, Cap: 1. & 2. 101. dist.*

XXIV. Habet Epiſcopus Cracovienſis, in Sileſiæ partibus, per Ducatum Teſchinenſem, per Dominium Pſczinenſe, vicinamq; Severienſi Ducatui oram, Epiſcopalem Juriſdictionem. Eodem nomine Epiſcopus Poſnanienſis, Sileſiæ partem Poſnanienſi Palatinatui confinem, complectitur. Viciſſim Epiſcopus Vratislavienſis in Eccleſias, per Ditiones Regni Poloniæ, Territorii Vielunenſis Oſtrzeſzovinenſis, & aliqua ex parte Palatinatûs Caliſſienſis, Juriſdictionem itidem conſervat. Abbas Paradiſienſis bona præcipua fundationis ſuæ in Sileſia poſſidet. Abbas Tynecenſis, Eccleſiam Orlovienſem in Ducatu Theſchinenſi, Abbatiæ itidem titulo inſignem, immediatè Monaſterio Tynecenſi ſubjectam habet. Præpoſitus Miechovienſis, Ordinis Canonicorum Regularium Divi Auguſtini, Sepulchri Jeroſolymitani Cuſtodum Generalis Præfectus, ejuſdem Ordinis Præpoſitos immediatè ſibi ſubjectos, Niſſenſem, videlicet & Bitomienſem in Sileſia ordinat, inſtituit, & Summa cum poteſtate illis præeſt.

De Primo Principatu Archiepiſcopi Gneſnenſis.

CAPUT IV.

I. Superiori Capite, Primatis & Primi Principis dignitatem: (qui tituli plerumq; indiſtinctè habent) gravi ſermone & ſcripto ſatis aſſeruit Jacobus Uchanski, Archiepiſcopus Gneſnenſis. Nobis etiam otioſum & tautologicum videtur repetere, quæ principio libri de auctoritate & poteſtate Archiepiſcopi Gneſnenſis, ex graviſſimis Authoribus collegimus. Supereſt, ut documenta evidentia ac Privilegia origi-

originalia in pergameno, quæ per tot sæculorum, rerumque vices integra & illæsa, furorem hostium, Sacra quævis ac pretiosa Basilicæ Gnesnensis deprædantium, evaserunt, nostrasq; ad manus rectè custodita feliciter devenerunt publici Juris faciamus.

II. Casimirus Magnus, Archiepiscopum Gnesnensem *Primum Principem*: Vladislaus Jagello, *Vicarium suum.* Joannes Albertus in Consiliis *Gubernatorem*, *& Majestatis Regiæ auctorem*, Privilegiis suis appellarunt.

Vetere & rudiore illo ævo simpliciùs uti vivendi, ita scribendi mos obtinebat. In memorato Decreto inter Jaroslaum Archiepiscopum, & Capitulum ac Vicarios Cracoviensis Ecclesiæ, Ludovicus Poloniæ, & Hungariæ Rex, Excellentissimus scribitur. Mathias Miechovius, Canonicus Cracoviensis, dedicatoriâ Historiæ Polonæ Epistolâ, Regem Sigismundum Primum, Illustrissimum nominavit. Neque Archiepiscopi verborum attentiores erant, magnis & solidis rerum prærogativis contenti. Sed exinde jam â Sigismundo Augusto Rege, ultimo Poloniæ hærede, aliisq; sub Regibus, limatiore sæculo, in Epistolis ad Archiepiscopos formam hanc Cancellaria Regni observat: *Reverendissimo in Christo Patri Domino Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, Regni Nostri Primati, Primoq; Principi, sincerè Nobis dilecto.* Eundem Imperator pari quo Cardinales tituli honore dignatur: *Reverendissimo in Christo Patri.* in contextu *Reverendissimæ Paternitati Vestræ*: in literis ad Senatum Poloniæ: *Reverendissimam Paternitatem Vestram*, & vos distinguit Rex Galliæ, Nostræ Confin. Hispaniæ, Angliæ, Sueciæ, Daniæ Reges, *Reverendissimo Illustrissimo Domino Amico* attribuunt. *Reverendissimæ Illustritatis Vestræ bonus Amicus*, subscribunt. Nuperrimè Rex Daniæ, epistola per Ablegatum suum Consiliarium Magnum Groie *Celsissimi* inscriptione me dignatus est. Episcopi, Senatores, Civitates, Majores, Celsissimi Principis nomine Archiepiscopum honorant. Sub Interregno nonnulli Palatini,

Mathi-

Mathiam Lubienski Archiepiſcopum *Sereniſſimum* inſcribere in uſu habebant. Extant apud me originales Palatini olim Kijoviæ Kiſſelii Clariſſimi Senatoris. Mareſchalcus Regni Sententiam de more in Comitiis rogans, Archiepiſcopo ſoli hoc titulo. *Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus*, vernaculè *Iego Mość Xiędz Arcybiskup Gnieźninski*, publicam vocem denuntiat.

III. Diplomata Comitiorum Regni Archiepiſcopi Primatis manu ſubſcribuntur, ac ejuſdem Archivo concreduntur. Reſponſa publica & Epiſtolæ, quoties nomine Reipublicæ vel Senatûs, ad exteros dantur, Primatis ſubſcriptione & Sigillo muniuntur. Proinde Sigillum Archiepiſcopi grandiore coronâ inſignitur.

Archiepiſcopi Gneſnenſes, Privilegia libertatum à Regibus Nobilitati impetrabant, quorum ad hunc diem vetuſtiſſima originalia in Archivo Gneſnenſi integrè ſervantur.

IV. Primi Principis titulus ad Rempublicam & Statum ejus Politicum ſpectans præcellentiam denotat, ante Principes Feudales Coronæ Polonicæ, ante Proceres Regni & M. D. Lithuaniæ, qui antiquitùs ſeſe Principes præſcribebant. Ita Stat: fol: 155. *Nos Prælati, Principes, Barones, Nobiles Lithuaniæ: Ruſſiæ &c.* & ibidem. *Nos Prælati Principes, Barones, Nobiles Regni Poloniæ* Eſtque Archiepiſcopus omnium Palatinatuum & Terrarum Primus Princeps, univerſalis Senator, & in Comitiis ac Conventibus Palatinatuum Supremus Præſes, Alicubi vocatur, Plenipotentiarius Reipublicæ, primuſque legum cuſtos. Vacante Throno literas ſublevationis, à pænis infamiæ, & proſcriptionis, Salvi conductus, protectionum ſeu vadiorum contra vim & potentiam, Tutorias pupillis, aliaque omnia Juris beneficia & remedia, interregia Primi Principis poteſtate, uſque ad Comitia Coronationis concedit, prout ego innumeris tam in regno Poloniæ, quàm in Magno Ducatu Lithuaniæ ſub interegno conceſſi. In periculis graviſſimis Reipublicæ, Senatum Varſaviam convocavi. Edi-

ḉta

cta pro Generali bellica expeditione ex Sacrà Congreg. publicavi.

V. Archiepiscopus Legationes Principum sub Interregno admittit, & dimittit. Legatos item nomine Reipublicæ sub titulo nominis sui, de Consilio Senatûs expedit. Ita ultimo Interregno Casimirus Florianus Dux Czartoryski Antecedaneus meus Archiepiscopus, Romam & ad Principes, & Respublicas Italiæ, Christophorum Masinum Regiæ Cameræ Secretarium, Andream Załuski, Canonicum Cracoviensem, Cancellarium meum ad Regem Hispaniæ, ad Regentem Lusitaiæ, ad Reges, Angliæ, Galliæ, Daniæ, Sueciæ, Fæderatos Belgii Ordines Albertum Opacki, Magnum Camerarium Varsaviensem pro impetrandis contra Turcam auxiliis, ad Magnum Moschoviæ Ducem, Turcarum Imperatorem, Hanum Tartarorum, militares Viros ablegavit.

Cujus Excellentiæ & auctoritatis Primatialis, non ignarus Turcarum Imperator, sub interregno post fata Sigismundi Augusti, primariò Archiepiscopum Gnesnensem, ut in Regem eligeretur Ordinibus Regni ridiculè proposuit. *Rebinold: Heidesten. Hist: Pol: fol: 27.*

VI. Aula Primatialis Magistratus & Officiales habet adinstar Regis. Mareschalcum ex Castellanis Senatorem, qui ei Scipionem publicè ubivis antefert, & in Aulicis Archiepiscopi, etiam sub præsentia Regis & Mareschalci Regni, ac cujusvis Judicii, delinquentes, Jurisdictionem omnimodam solus exercet. Cancellarium, qui negotia Politica tractat, in Consiliis Secretioribus Archiepiscopo assistit, neque excedere Senatu à Mareschalco Regni, omnibus licèt exclusis jubetur. Referendarium Libellorum supplicum ut vocant Magistrum, Cruciferum, Cameræ, Stabuli, Venationum, Culinæ Præfectos, Incisorem, Pocillatorem, Judicem Terræ Lovicienfis, Capitaneos Arcium, quos inter, primarius Capitaneus Loviciensis, pro delictis, & violata præsertim Lovicii securitate publica, in quascunque personas Jus dicit, & pro gravitate delicti,

 suppli-

ſupplicium ultimum decernit. Quod multis judicatis, & uſu præſcripto invaluit.

VII. Archiepiſcopi dignitas & ſecuritas religiosè Statutis Polonicis præmunita eſt. Verba Statuti tit: Spirituales fol: 451. *Si quis coram Domino Archiepiſcopo gladium, vel cultellum extraxerit, ſive vulneravit, ſive non; pæna ſeptuaginta marcarum puniatur, eidem Domino Archiepiſcopo applicanda,* & infra aliud: *Si quis turpia coram eo protulerit pænam eidem Domino Archiepiſcopo 50. ſolvat.*

VIII. Archiepiſcopus Urbes Regiæ reſidentiæ publicè intrat, tubis præcinentibus, pulſatis tympanis, expanſis vexillis, rectâ ex itinere ad Palatium Regium tendit: ubi ab expectante in Camera, & aliquod paſſus obviam procedente Regia Majeſtate humaniſſimè excipitur, mox omnes Aulici Primatiales ad oſculum manus Regiæ admittuntur. Intranti Senatum Rex in throno, detecto capite, modicè ſe inclinat. Senatus univerſus, è curulibus ſuis in venerationem aſſurgit. Venienti ad publicos actus & Comitia Regni, Epiſcopi, Principes, Senatores, ex humanitate & affectu, non rhedas tantùm obviam mittere, ſed ipſimet in perſonis honoris cauſa in itinere benevoli occurrere, non inferiùs ducunt. Idem tanquam Primus Princeps; nemini in rheda ſua & in publico congreſſu manu dextra cedit. In primo meo Cracoviam ad ſolennia Coronationis ingreſſu, Epiſcopi Poſnanienſis & Plocenſis, Caſtellanus Cracovienſis, primus inter Seculares Senator, ſiniſtram in rheda mea tenuerunt. Idem Epiſcopos, Palatinos, Principes, Mareſchalcos, Cancellarios, Exercituum Duces Supremos, non reviſitat. Solennibus privatorum conviviis non intervenit. Regiæ in actibus publicis menſæ, ſolus ad latus Regium adhibetur aſſidetque, niſi fortè Legati Principum invitati aſſideant, tunc enim ex urbanitate convivio Regio præſens intervenire non curat.

IX. Archiepiſcopus antiquo & præſcripto uſu, licèt à Legatis Coronarũ viſitetur, neminem in perſona ſua reviſit, præter

ter solum Nuntium Apostolicum Principem enim suum Pontificem, tanquàm ejus gratiâ Archipræsul & Beneficiarius agnoscit, ac revereri tenetur: nam sicut DEO servire, regnare est, ità quò infimiùs Vicario DEI nos submittimus majori quodam honore attollimur.

Mirum id aliquando & insolens visum, nonnemini externorum Ministrorum: alleganti Romana in Urbe exemplorum fonte & Magistrâ, ubi omnis politia cultissimè viget, Cardinales summos æquè ac medios invicem visere & revisere, atque hæc præcipuè officia erga Coronarum Legatos, ab ipso Cardinali Patrono religiosè observari. Sed controversiam istam multo nisu agitanti, inq; sententiam suam alios pertrahere captanti Legatus protunc Gallicus prudentissimus & humanissimus Præsul Bituricensis, nunc jam feliciter ex nominatione Regis Poloniæ Cardinalis Bonosus, rectè respondit: ad mores gentis se venisse, neque velle in aliena domo esse curiosum, sed quemlibet in sua possessione relinquendum. Firmavit idem Rex Christianissimus, dato mandato Excellentissimis Legatis Episcopo Marsiliensi de Forbin & Marchioni de Bethune, ut Archiepiscopo Gnesnensi publicum visitationis, sine ulla difficultate & prætensione honorem haberent. Quod in Comitiis Varsaviensibus, anno currenti, multis vicibus Archiepiscopum Olszovium visitantes, non revisitati, observarunt. Præstitit idem ultro Cracoviæ, in Regiæ Coronationis Comitiis, non interrogans, neque dubitans, tametsi tergiversationis Forbinianæ gnarus Legatus Sueticus, Vir egregius, dignitatis & gentis suæ ubivis retinentior Dominus Andreas Lillichoek. Brandeburg: Legatus Dominus Baro Hoverbekius Aulæ Polonæ planè nutritus, rerumq; nostrarum scientissimus, neque nunc inferiorem Regia Electoralis Legationis Excellentiam autumans, frequentiùs Archiepiscopum Olszovium publicè adiit, testatusq; est: Primates Poloniæ, antiquo usu præscripsisse, ut Legatos, à quibus visitantur, nunquàm revisitent. Visitare autem Legati necesse habent, quo-

modo enim prætereant Archiepiſcopum, ſi quid cum Republica Polona commercii habere volunt. Nam Legationes publicæ inſtituuntur, cùm ad Sacram Regiam Majeſtatem, tum ad univerſam Rempublicam, id eſt Senatum & Equeſtrem Ordinem quorum velut perſonam Primas Regni Primuſque Princeps ſemper repræſentat.

Eodem more Cancellarii Galliæ, nemini accedenti, quacunque licèt dignitate, etiam ſanguinis à Regibus deducti prærogativâ fulgeat, obviam procedunt, vel viſitationis vicem referunt. Recens auctor Anonymus libri Gallici de Legatis & Miniſtris pag: 392. edocet: neminem ab Archiepiſcopo Toletano, Primate Hiſpaniæ, præter ſolum Regem, viſitari. Memoriâ teneo, cùm in Comitiis Electionis Imperatoris Leopoldi, Francofurti, Miniſtrum Regis Poloniæ Joannis Caſimiri, agerem, Electorem Colonienſ. è Domo Bavarica, neutiquàm permittere voluiſſe manum dextram Legatis. Quod illi vitio non vertebant, compertô uſum talem & præſcriptionem Domûs Bavaricæ obtinuiſſe.

Archiepiſcopus Legatis Coronarum, ac Nuntio Apoſtolico præcedentiam non permittere omninò obligatur. Cùm Joannes Wężyk ob reverentiam Apoſtolicam Nuncio aliquando loco ceſſiſſet, appellatus fuit publico Ordinum Eccleſiæ nomine in Comitiis, ut locum primum primi Principis Anteceſſorum exemplo, pro conſervanda ſua & Reipublicæ dignitate tueretur. Meminiſſet actorum olim Vladislai Oporovii Primatis, Cardinali Sbigneo minimè cedentis, rem ita narrat Carncovius pag: 27. *Cùm eximia ſit in Eccleſia Catholica, Cardinalium S. R. Eccleſiæ dignitas, & habeantur ii, in Republica Chriſtiana Archiepiſcopis, Metropolitanis, Primatibus Eccleſiaſticis, & Patriarchis Superiores, non cedit tamen eis in ampliſſimo Regni Senatu loco, honore, & authoritate, Archiepiſcopus Gneſnenſis, velut Primas Regni, quod quidem evidenter patuit quodam tempore, nempe regnante Caſimiro III. Nam cùm Sbigneus, Oleſnicius, Epiſcopus Cracovienſis, Vir cùm*

de Eccle-

de Ecclesia, tùm de Republica Nostra bene meritus à Pontifice Max: Cardinalis creatus esset, prærogativâq; ejus Dignitatis in Senatu uti, & Vladislaum Gnesnensem Archiepiscopum anteire vellet, obstitit Archiepiscopus, uti Primas Regni, nec solus, sed cum Proceribus & Senatoribus Majoris Poloniæ, & cùm Rex cum cæteris Senatoribus pertinatiùs Sbigneum tueretur, omnes cum Archiepiscopo Senatu excesserunt. Controversia tandem discessu Cardinalis è Comitiis sopita est. Ut autem placidè peragerentur Comitia, Archiepiscopus quoq; in gratiam Regis & Senatûs discessit. Eidem Sbigneo Cardinali Episcopo Cracoviensi, in Nuptiis CASIMIRI III. cum Elisabetha Alberti Cæsaris filia anno 1454. in Basilica Cracoviensi celebratis Joannes Sprovius Primas non cessit, & Sacris in ipsius Ecclesia operatus Reginam coronavit. *Cromer: fol: 500. lib: 27. Miechov: lib: 4. cap: 49.*

Nostra ætate, cùm Serenissimis Principibus Sigismundi III. Filiis, Episcopatus, Joanni Alberto Cardinali Cracoviensis, Carolo Ferdinando Plocensis, lege publica Comitiorum tribuerentur, Primatiali prærogativæ, nè Regiis Principibus inferior ageret, diplomate & decreto omnium Ordinum prospectum est.

Verba Constitutionis an: 1633. in Coronatione Vladislai IV.

A że dignitatem Cardinalitiam *Krolewic Iego Mość Ian Albrycht* à Sede Apostolica obtinuit. *Wáruiemy, że* eo nomine *żadney sobie prærogatywy wprzod przed Prymásem* Regni *przywłaszczáć nie będźie.* Et quoniam dignitatem Cardinalitiam Serenissimus Princeps Joannes Albertus à Sede Apostolica obtinuit, præcavemus quòd eo nomine ullam prærogativam priorem ante Primatem Regni usurpare non poterit, & *Constit: 1641. A ieśliby kiedy* Dignitas Cardinalitia *Krolewicowi Iego Mośći Károlowi* à Sede Apostolica delata *byłá, żadney sobie prærogátywy przed Prymásem* Regni *przywłaszczáć niema.* Quodsi aliquando Dignitas Cardinalitia Serenissimo Principi Carolo à Sede Apostolica deferretur, nullam

ille prærogativam ante Primatem Regni prætendere poterit.

XI. Auctoritas Primatialis monendi Regem, ſi quid nocivum Reipublicæ & libertati prægrave adverterit, exemplis deducitur.

Jacobus Znenius, cùm Vladislaus Princeps, injurius eſſet Fratrbus ſuis, bellumq; Civile adverſus eos moveret, in caſtra ejus curru vectus venit, eumq; liberrimè de tyrannico & impio cæpto monuit, contemnentem unà cum Exercitu, Infulâ, ornatus diris devovit. Nec mora, Sententiam ejus ultio divinitùs ſecuta eſt. Profligatus eſt enim Vladislaus cum Exercitu ſuo à paucis obſeſſis.

Petrus I. ob cædem S. STANISLAI, Boleslaum Regem ſacro fulmine percuſſit, & Interdicto Eccleſiaſtico totum Regnum ſubjecit.

Petrus II. Boleslaum Principem cum Fratribus decertantem coarguit, & tandem compoſuit.

Jaroslaus Caſimirum magnum, ſolutiore vitâ agentem monuit & uxori reconciliavit.

Joannes de Sprowa, Caſimirum ad præſtandum Juramentum, & ut Poloniam (Lithuanorum Principatûs Vicario Regimine alicui demandato) diligentiùs per ſe adminiſtraret, commonuit, adegitq;.

Jacobus II. Archiepiſcopus, cùm Henricus IV. Vratislavienſis Dux, magnam vim pecuniæ Thomæ Epiſcopo & Diœceſi Vratislavienſi imperaſſet, ea non exolutâ Otmochoviam & Niſſam Oppida, ac cætera bona Epiſcopi & Eccleſiarum Diœceſis, Henricus invaſiſſet, Henricum priùs monitum, ſed in pertinacia obſtinatum communione Chriſtiani populi, unà cum ſociis & fautoribus excluſit. Vratislavienſi verò Civitati, & omnibus locis, quæ in ditione erant Sacris interdixit, ac nonniſi data plenaria ſatisfactione, vinculis cenſurarum exolvit. Joannes de Sienno Ducum Maſoviæ Regii Piaſtani ſanguinis partes vehementer egit, ſeq; Caſimiro III. Regi magnanimè oppoſuit.

Nico-

Nicolaus Dzierzgovius, cùm Sigiſmundus Auguſtus certum contractum de ſale vendendo, in detrimentum Nobilitatis feciſſet, Majores Poloni eam rem ad Archiepiſcopum detulerunt, utq; Conventum indiceret, poſtularûnt. Rex ab Archiepiſcopo monitus deſtitit ab incepto.

Idem Sigiſmundi Auguſti cum Barbara Radzivilia Matrimonio animosè, ſed non pertinaciter reſtitit.

Stanislaus Carncovius, cùm Comitiis Varſavienſibus obtentu belli Turcici tributum capitale ſancitum fuiſſet: Conventum Colenſem Majoris Poloniæ Palatinatibus indixit, illud vectigal liberæ genti indecorum & ſervile abrogavit. Joannis Zamoſcii nimiam potentiam infregit, quod tamen detestabili infirmandæ auctoritatis Comitialis exemplo & abuſu dignitatis Primatialis factum, rectè improbat. *Piaſec. fol: 95.*

Idem Carncovius, Sigiſmundo III. in Sueciam profecto, ad rumores belli Turcici in Ungaria excitati, Conventum Varſaviæ Proceribus indixit, & celebravit. *Piaſec: fol: 140. Idem libro ſuo de Primatu refert pag: 26.* Quod regnante Sigiſmundo Seniore, & abſente à Regno, in Lithuania verò degente, Petrus Gamratus Archiepiſcopus, Petricoviæ Comitiis Regni cum poteſtate præfuit, & Senatus conſulta, Cônſtitutioneſq; Regni promulgavit, præſente etiam eodem Rege, ſed ægrotante poſtea ibidem in Aula Archiepiſcopali, eo ipſo Gamrato præſidente, ſæpènumerò Senatus habitus eſt. Poſt eum quoque Sigiſmundo Auguſto regnante, ad eundem modum, apud Nicolaum Dzierzgovium Archiepiſcopum, non ſemel publicè conſultatum eſt. De Joanne Wężyk. *Piaſec: in Chron: fol: 545.* Cùm Vladislaus Rex Electus febricula diſtentus, ad diem Coronationi præſtitutam non veniret, ſolenne Sacrificium pro Comitiis inchoandis in templo Pontificali Cracovienſi celebravit, ac inde ad Curiam arcis Senatoriam tranſiens, Conſilio publico Senatoribus & Nunciis præſedit.

Joannes Wężyk, Matrimonij cum Friderici Palatini Rheni Filia hæretica, acerrimus diſuaſor fuit.

Mat-

Matthias Lubinski, cùm Vladislaus IV. ſuaſore Legato Veneto Tiepolio, apud quem Venetiis Princeps hoſpes diverterat, bellum in Turcas inconſultâ Republicâ agitaret, multi Proceres, præcipuo nomine Stanislaus Lubomirſcius, Palatinus Cracovienſis, Archiepiſcopum Primatem compellavêre, iret obviam nocivis Conſiliis, Primatiali jure Regem dehortaretur. Egit inprimis per Epiſtolam, mox Varſaviæ Regem adiit Lubinius, tandem in Comitiis anni 1447. Ordinum rogatu decenter monuit, perſuaſitq; ut cæpto molimine deſiſteret, exercitumq; ex Germanis, pace Imperii tunc ſtabilitâ, conſcriptum exauctoraret. Quam nimis anxiam inconſultæ pacis curam, in malum noſtrum, & interitum ampliſſimi Regni recidiſſe, heu miſeri! agnoſcimus, gemimuſque. Illis enim florentiſſimis, & longa pace adultis Poloniæ opibus viribuſq; illo tunc domeſtici externiq; militis facili delectu, illa Coſaccorum immenſum excreſcente, jamque ad arma concita multitudine, & aperto per oſtia Boryſthenis Ponto Euxinoo, & conſpirantibus, taciteq; Vladislao devinctis, latiſſimè per Imperium Turcicum diffuſis Græco Chriſtianis, & diſtractâ Ottomanicâ potentiâ debellari ſeu infringi hoſtis, Tartari Tauricâ ſuâ extrudi, pax ſecura & duratura ſtabiliri poterat.

Heu quantùm poterat terrâ pelagoq; parari
Hoc, quem ſerviles hauſerunt ſanguine, dextræ.

XII. Si quis Nobilium gravem offenſionem Regis perhorreſcat, ad Primatem recurrendi jus eſt, qui interventionem ſuam, ad leniendam Regis iram Nobili præſtare debet. Exemplo ejuſdem Matthiæ Lubienii Archiepiſcopi, qui pro Georgio Lubomirſcio, cùm ob percuſſum Inſtigatorem Regni Zytkievicium, indignationem Joannis Caſimiri incurriſſet. Nec non pro Hieronymo Radziejovio, inteceſſor fuit, & gratiam priori (nam poſterior è Regno celeriter profugerat) impetravit.

XIII. Quóties ad bellum univerſa cum Rege Nobilitas, Edictis

Edictis publicis, vulgò literis restium, evocatur, Archiepiscopus Gnesnensis, aliquos Senatorii, & Equestris Ordinis, ad assistentiam lateris sui adsciscere solet; qui Expeditioni generali, per legem Comitiorum eximuntur, pænisq; gravissimis in lege descriptis non subjacent. Quorum nomina cum subscriptione Mareschalci Primatialis, actis publicis connotantur. Speciali autem Privilegio Vladislai Poloniæ & Ungariæ Regis Arcium Archiepiscopalium Lovicensis & Uniejoviensis Capitanei seu Præfecti, immunitate hac expeditionis bellicæ ipso jure gaudent.

XIV. Jus cudendæ monetæ, Premyslius Rex, Archiepiscopis Gnesnensibus *Anno 1284.* concessit. *Cromerus auctor est lib: 8. fol.* Vladislaum Principem Jus idem cudendæ monetæ ante Premyslium, necnon venationum in Sylvis propriis, libertatem Archiepiscopis indulsisse, quas illo temporis, nemini præter Regnantem venationes exercere licebat.

Privilegium Premislai Ducis super cudenda moneta.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ne gesta mortalium idonea, tractu declivii temporis evanescant, provida Sapientum proinde sanxit auctoritas, factâ dignâ memoriâ, solennis scripturæ testimonio, posterorum notitiæ commendare. Hinc est igitur, quod NOS PREMISLAUS Secundus, DEI gratiâ, Dux Poloniæ, inhærentes vestigiis Prædecessorum nostrorum, eorum pios actus prout possumus imitantes, inprimis libertates ab eis concessas Ecclesiæ Gnesnensi approbantes, jure perpetuo confirmamus, omnes Incolas ipsius Ecclesiæ, ab omnibus angariis absolventes, videlicet ab omni solutione, exactione, servitute, ac Jurisdictione, seu dominio totaliter liberantes, & adijcientes, pro remedio peccatorum nostrorum, nostraq; ac Progenitorum nostrorum salute. Quod

Venerabili Patri noſtro Domino Jacobo Divina Providentia, Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ejuſq; Succeſſoribus, in Zneyna Civitate ſua, & aliàs in Caſtellania Lendeń: ubi voluerit monetam habere liceat ſpecialem quæ per totum Dominium noſtrum recipi debeat, ſicut noſtra. In cujus rei teſtimonium, præſentem paginam, Noſtri Sigilli munimine duximus confirmandam. Præſentibus his teſtibus, Comite Boſcone, Venatore Caliſſienſi, Comite Gnevomiro, Caſtellano de Zbawſin, Comite Vito, Pincerna Gneſnenſi, & aliis quàm pluribus fide dignis. *Datum in Clobyna, Anno gratiæ Domini 1284. Indictione XII. Calendis Auguſti, per manus Chilonis Notarii Curiæ Noſtræ.*

Privilegium CASIMIRI Magni compoſitionis de Decimis, in quo titulus Primi Principis.

Confirmavit SIGISMVNDVS AVGVSTVS, Varſaviæ 12. Mēſis Octobris, anno Domini 1568. *cum appellatione bina Archiepiſcopi, Primi Principis.*

NOS CASIMIRUS DEI gratiâ Rex Poloniæ. Ad perpetuam memoriam, & ad univerſorum, quorum intereſt notitiam, præſentibus volumus devenire. Quia cupientes nemora mericas Sylvas, & virgulta, quibus eſt dudum propter guerras præteritas, terra noſtra Poloniæ deſertata, redigere in agriculturam, ut ex eo nobis noſtræq; militiæ, ac Subditis noſtris, præſertim Sanctæ Matri Eccleſiæ, & ejus Prælatis ac Rectoribus Eccleſiarum quibuſcunque in reditibus, proventibus, & utilitatibus fructus creſcant, & obveniant uberiores. Cum Reverendiſſimo in Chriſto Patre Domino Jaroslao Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo,

Primo nostro Principe : mediante Baronum terræ Poloniæ consilio, super solutione decimarum, in eadem terra Poloniæ, talem fecimus concordiam, perpetuò duraturam. Quod de antiquis villis & agris locatis, & possessis, vel decima manipulatim, ubi decima solvi consuevit, vel ubi maldratæ duodecem mensurarum triplicis frumenti scilicet tritici, siliginis, & avenæ, cum fertonibus solvi consueverant, secundum antiquam consuetudinem, ad quos pertinent, persolvantur. Et ubi antiqua villa de Jure Polonico, in Jus Teutonicum transferetur, in quo territorio sita fuerit, illius loci jure fruetur, scilicet quod pro decima campestri solvent incolæ ipsius villæ censûs medietatem, videlicet sex mensuras triplicis grani, ut profertur cum sex grossis Pragen:, de quolibet manso Sredeń: & dicti mansi duo in unum non conjungentur, neque aliqualiter dilatabuntur. Et in territorio Nacleń, inter Pomeraniam & Notheſz pro decimis, quæ manipulatim solvuntur, per tres scotos gros. eorundem, postquàm fuerit facta mensura solvetur Culmeń, sive Sredeń, eodem anno & postea singulis annis quolibet festo Beati Martini Confessoris. Villam verò in nemoribus, mericis, Sylvis, Borris & virgultis à data præsentium in terris Poloniæ Siradiæ & Lanciciæ locandi, iterum Domini earundem locandarum Villarum libertatem servabunt, gaudebunt à solutione decimalis pecuniæ libertate. Post cujus lapsum de manso quolibet Sreden. inibi mēsurato, pro decima solvēt etiam tres scotos grossor. prædictorum hoc adjecto, quod lacus, paludes, & ubi agri esse non poterunt, non transibunt in agrorum mensuram: Sculteti insuper tam villarum antiquarum, in quibus per Cmethones maldratæ & fertones solvuntur, quàm de novo locandarum, in quibus sex grossi de manso solvi debebunt, tantùm per quatuor mansos liberos & non plures habebunt, de quibus Plebano, à quo audient officia Divina, & percipient Ecclesiastica Sacramenta more antiquo solvent missāles annonas mensuram siliginis, & mensuram avenæ. Ita quod quilibet ipsorum

ſcultetorum in ſua ſcultetia pecuniam decimalem & maldratas cum fertonibus fuerit adſtrictus recolligere fideliter & reponere, in loco tuto ac ſervare, & demum illi, ad quem pertinent dictæ decimales pecuniæ vel maldratæ cum fertonibus præſentare. Non ſolventes verò aut ſolvere retardantes ipſi ſculteti, ad æſtimationem debiti debent impignorare, & ſub pænis certis, infra minus Menſis ſpatium, à die impignorationis, prout arctiùs poterunt compellere ad ſolvendum. Aliàs ipſi ſculteti & Cmethones in toto vel in parte non ſolventes, tam diu poſt dictum menſem excommunicentur, quouſque integraliter dictus fuerit cenſus perſolutus de quibus ſiquidem quatuor manſi prædicti Sculteti, vel alter eorum, ſi aliquem vendiderint, obligaverint, ſeu aliis ad arandum conceſſerint, vel quoquo modo alienaverint, ne illis, qui eos araverint, unà cum villanis decimam, maldratas cum fertonibus ſolvent, ubi villani ſolvere conſueverunt. Inſuper quoties aliquem manſum, in villa locata, quovis modo deſertari contingat, arans illum propter Dominum villæ, decimam in campo perſolvet manipulatim, quouſq; locetur, & cenſus cum maldratis perſolvetur. Item Rectores Eccleſiarum & alii quicunque Presbyteri Gneſnenſis Diœceſis, pro columbatione, pro Baptiſmo, pro copulationibus, pro extrema unctione nihil petent, ſed quod ipſis dabitur charitativè recipiant, & gratuitè. Ubi autem Sacerdotem, vel Clericum in Sacris conſtitutum vulnerari, capi, vel occidi contigerit, locus ille tam diu ſit interdictus, quouſque maleficium hujusmodi committens ſatisfaciat, vel Eccleſiæ tradatur, aut homines loci ejuſmodi Sacramentum præſtiterint, quòd eis non dantibus, neque detinere valentibus idem aufugit malefactor, & tunc in dicto loco Divina relaxabuntur. Etiam non ceſſetur à Divinis propter adventum ad aliquem locum alicujus excommunicati, ne juſti divino officio indebitè priventur. Præterea fabrica ab Eccleſiis, ubi non habemus Juſpatronatûs, non recipiatur. Item Statuimus cum eodem Domino

Archi-

Archiepiscopo, quod ubicunque miles militi obligat hæreditatem, de agris, quos obligans colebat, recipiens obligationem teneatur decimare, ubi ille, qui obligavit, decimabat. Si verò occuparet & exararet plures agros repellens de illis Cmethones in Gonituam decimabit. Item ordinamus, quod maldratæ de villis nostris & Baronum Domino Archiepiscopo, & Clero ipsius non ducantur, sed si quis ducere voluerit, non prohibemus. In cujus rei testimonium Sigillum nostrum præsentibus est appensum. *Actum Posnaniæ, feriâ quartâ post Dominicam Reminiscere, Anno Domini, Millesimo, Trecentesimo, Sexagesimo. Præsentibus Pascono Posnanien: Przeclao Calissien: Chebda Siradien: Alberto Cujavien: Palatinis Wierzbięta Posnanien: Andrea Calissien. Castellanis. Nicolao Posnan: Dobieslao Calissien: Iudicibus, ac aliis multis fide dignis. Datum per manus Ottonis, Cancellarij Poloniæ, Scriptum autem per Nicolaum de Wolborz, Notarium Curiæ Nostræ Regalis Majestatis.*

VLADISLAUS DEI gratiâ Rex Poloniæ, Lithuaniæq; Princeps Supremus, & Hæres Russiæ, &c. &c.

SIgnificamus tenore præsentium, quibus expedit universis præsentibus & futuris. Quia Reverendissimus in Christo Pater Dominus Nicolaus Sanctæ Gnesneñ: Ecclesiæ Archiepiscopus & VICARIUS REGNI Nostri Poloniæ GENERALIS &c. &c. *Datum in Lagow Oppido Nostro, propè Calvum Montem, feriâ tertiâ proximâ post diem Beati Valentini, Anno Domini, Millesimo, Quadringentesimo, Undecimo.*

Privilegium IOANNIS ALBERTI, in quo Archiepiscopi Gnesnen: ad benè feliciterq; regnandum veluti Gubernatores & Majestatum auctores.

AD perpetuam rei memoriam. Regia ac quævis Majestas, imperansq; potestas consuevit inter alia ordinariæ curæ, ad rectè justeq; imperandum incumbentia, privilegiorum perenniumq; literarum Subditórum suorum, & rationem habere præcipuam, & illorum illarumq; tenores, tam ab initio concessionum quàm ex Successivis Successorum roborationibus, firmissimis per novæ concessionis confirmationisq; decreta efficere firmiores. Quod quidem ea ipsa Majestas, etsi cunctis fidelibus suis tribuere debeat benigniter, illorum tamen Privilegia, immunitates, libertatesq; liberaliùs perennare, ampliareq; debeat, qui Summis Ecclesiæ, imò etiam Divinis ipsis Magistratibus, immediatissimi Præsidentes sicut aliis Christi fidelibus & Spiritualia & temporalia commoda præbere, sic ipsis Majestatibus Regum & potestatum Imperantium, ad benè feliciterq; regnandum consiliis & auxiliis præstantissimis *veluti quidam gubernatores, non solùm assistere, sed etiam Majestatum eorundem auctores esse consueverunt.* Proinde Nos JOANNES ALBERTUS, DEI gratiâ, Rex Poloniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Supremus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, ac Culmen; & Elbigen: Pomeraniæq; Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præsen: quibus expedit universis præsentibus & futuris, harum notitiam habituris: quomodo post felicem Regiam Coronationem nostram, quemadmodùm more Divorum olim Prædecessorem nostrorum Ducum ac Regum Poloniæ universis Terris, ac Subditis Regnicolis nostris, universorum Privilegiorum, immunitatum, & libertatum per e-

oſdem Prædeceſſores noſtros eis ſucceſſivè conceſſorum conceſſarumq; confirmationes dandas, Decretumq; & petentibus dedimus ac conceſſimus gratiosè, ſic in præſentiarum debitum habentes reſpectum, *ad Illuſtriſſimi Principis Reverendiſſimiq; in Chriſto Patris Domini Friderici, eadem gratiâ Germani chariſſimi noſtri, Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Tituli S. Luciæ in Septem ſoliis* Presbyteri Cardinalis, Archiepiſcopi Gneſnenſis, & Primatis Epiſcopiq; Cracovienſis, benevolentiæ affectum Fraternum, & ſtudium ferventiſſimum, per ejus charitatem fraternam, ſub vacatione Regni poſt mortem Sereniſſimi olim Regis CASIMIRI Noſtri, ſuiq; Genitoris, nunc quoque, & omni tempore prius felicem noſtram ad Regnum Paternum aſſumptionem Nobis apertiſſimè exhibitum, & exhiberi ſolitum, dum videlicet felicis Electionis Coronationiſq; noſtræ *Auctor promotorq; eſſet ſingulariſſimus favore fraterno* ſuo eam ipſam Electionem Coronationemq; felicem noſtram, non ſolùm promovendo; verùm etiam univerſorum Regnicolûm noſtrorum vota, ad ſuum unanime & noſtræ Majeſtatis votum atque augmentum Regum noſtrorum retinendo, dum deniq; in omnibus noſtris ac Reipublicæ Regni noſtri eventibus proſperis atque adverſis, conſiliis & auxiliis fraternis, nobis ſinceriſſimè aſſiſtere non deſiſtat. Quamobrem ut non ingrati eſſe videamur fraterni favoris affectus & benevolentiæ ejuſdem Domini Friderici Fratris noſtri, quin potiùs liberalem fraternam benevolentiam liberaliter rependere cupien: non per errorem, vel inconſùltè, *ſed de certa ſcientia & deliberatione* noſtris Conſiliis Cõſiliariorum Noſtrorum univerſorum, Spiritualiũ & Seculariũ Regni Noſtri accedentes univerſa & ſingula, univerſaſque & ſingulas, Privilegia, munimenta, libertates, immunitates, & literas perpetuas & temporales, ſub quibuſcunq; modis, formis, & tenoribus per Sereniſſimos ac Illuſtriſſimos olim Reges, & Principes Poloniæ Prædeceſſores Noſtros, & quaſcunque alias perſonas auctoritate quantumque perpetua vel temporali fungentes, eidem

Domi-

Domino Friderico tanquàm Archiepiſcopo, & ſuis Prædeceſſoribus Archiepiſcopis Eccleſiæq; ac Menſæ Archiepiſcopali Gneſnen:, ac etiam Venerabili Capitulo, ejuſque Prælatis & Canonicis, Menſæ quoque Capitulari, necnon univerſis aliis Beneficiatis & Beneficiis Eccleſiaſticis Eccleſiæ Gneſnenſis, ſuæ ſimul aut diviſim, conjunctim, vel ſucceſſivè donata & donatas, conceſſaq; atq; conceſſas, quorum quarumq; tenores perinde eſſe ac valere volumus, uti de verbo ad verbum præſentibus noſtris inſerta, inſertique eſſent; quaſcunque venditiones, donationes, reſignationes, emptiones, contractus, ſententias, Decreta ordinaria, & extraordinaria, pura arbitraria, deciſiones, exemptiones, libertates, immunitates, mandata, & omnis generis atque modi cujuslibet Ordinationis, temporaliter & perpetuo duraturas in ſe continen: decrevimus & determinavimus, in omnibus eorum & earum ſcriptis tenoribus & conditionibus confirmanda, roboranda, & ratificanda, confirmandaque roborandas & ratificandas, prout præſentium perennium Noſtrarum munimine literarum confirmamus & ratificamus, volentes & de univerſorum eorundem Regni Noſtri Conſiliariorum Conſilio ſtatuentes, decernenteſq; illa atque illas perpetuò valituras in ævum. In ejus rei teſtimonium Sigillum noſtrum eſt præſentibus ſubappenſum. Actum Lanciciæ, feriâ ſexta, in Vigilia SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum. Anno Domini Milleſimo, Principe Reverendiſſimoq; & Reverendis in Chriſto Patribus, Domino Friderico Cardinali, Germano noſtro. Creslao Viadislavien: & Cancellario Regni Noſtri, Joanne Poſnanien: Vincentio Plocen: Epiſcopis Eccleſiarum. Ac Magnificis, Generoſis, Joanne de Oſtrorog, Poſnanien: & Ambroſio de Pampow Siradien: Palatinis. Raphaële de Leſzno Poſnanienſi. Andrea de Zakrzyn Lancicien: Caſtellanis, Jacobo de Schidlowiec, Theſaurario. Matthia de Drzewica, Præpoſito Scarmirien: Vice-Cācellario Regni Noſtri, aliiſq; pluribus fide dignis Teſtibus ad præmiſſa. *Datum per manus ejuſdem Reverendiſſimi*

dissimi in Christo Patris Domini Creslai Cancellarii Regni Nostri sincerè Nobis dilecti.

Privilegium CASIMIRI MAGNI, in quo omnia Bona Archiepiscopatûs specificantur.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Dignum, & rationi consonum fore noscitur, ut Alma Mater Sancta Gnesnen: Eccl: sicùt in Regno Poloniæ Jure Metropolitano, cunctas præcellit Ecclesias, ità honoris prærogativa, gratiæ singularis ampliori privilegio decoretur. Proinde Nos CASIMIRUS, DEI gratiâ, Rex Poloniæ; necnon Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Pomeraniæq; Terrarum Dominus & Hæres. Ad universorum tam præsentium, quàm futurorum notitiam volumus devenire. Quod Venerabilis in Christo Pater, Reverendissimus Dominus Jaroslaus, eadem gratiâ Sanctæ Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cum suo Capitulo, ad nostram præsentiam venientes, exposuerunt Nobis humiliter & decorè, ut quia Privilegia ejusdem Ecclesiæ concessa, per Illustres Dominos Reges & Principes Poloniæ, in quibus Jura & libertates continebantur plenariæ, quædam ex sui vetustate consumpta, nonnulla verò ex Terrarum disturbiis & cremationibus deperdita existerent, dignaremur eis, & Ecclesiæ supradictæ Majestate Regia de opportuno remedio providere: ut ultima consumpta Privilegia innovari, deperdita restaurari, & alia reformari misericorditer mandaremus. Nos verò ipsorum justis, & rationabilibus Supplicationibus, more pii Patroni favorabiliter annuentes, cùm Regum & Principum explorati juris existat, Ecclesiis & personis Ecclesiasticis, præsertim in quibus Jus patronatûs obtinent, paternè consulere, protegere,

 & do-

& dotare, habita nobiſcum deliberatione, & cum Baronibus noſtris, ſufficienti præmiſſo tractatu, ad Honorem Omnipotentis DEI, & Beatæ MARIÆ Virginis, & ad gloriam S. Adalberti M. & Pontificis glorioſi, ipſius Eccleſiæ Gneſnen: Patroni, atque intuitu retributionis æternæ. Conſideratis etiam meritis probitatis, & ſervitiis plurimis per præfatum Dominum Archiepiſcopum Nobis conſtanter exhibitis & impenſis, omnia & ſingula Privilegia, Libertates, conceſſiones, donationes cujuſcunque tenoris & formæ exiſtant, per quemcunque vel quoſcunque data, conceſſa, & donata fuerant Gneſnen: Eccleſiæ memoratæ, in Nomine Domini, ex certa ſcientia confirmamus, & pari privilegio roboramus perpetuò valitura. Cæterum volen: Progenitorum noſtrorum, qui eandem Gneſnenſem Eccleſiam plurimis gratiis dotaverunt, veſtigiis inhærere, & facere eidem Eccleſiæ gratiam ampliorem, ut ſub culmine noſtri regiminis in juribus amplietur. Quodque ipſe Dominus Archiepiſcopus cum ſuo Clero, pro ſalute noſtra, & pro animabus Progenitorum noſtrorum, Orationes fundere fortiùs ſint aſtricti. Omnia bona ipſius Gneſnen:, & aliarum Collegiatarum, videlicet Lancicien: Ruden: Kurzelovien: & Uniejovien: ac Parochialium Eccleſiarũ Diœceſ. ſive ſint Oppida, ſive Hæreditates, ſive Villæ, aut Caſtra, quæ nunc ad majorem certitudinem, in præſenti Privilegio duximus propriis nominibus deſcribenda. Primò omnes areas circa Eccleſiam Gneſnen: quas nũnc Prælati, Cancellarii, & Vicarii poſſident cum hortis & duobus manſis circa Beatum Petrum. Item Kandzierzyno, Wirbiczany, Scytniki, cum ſortibus ibidem adjacentibus. Mancerzyno, Slawno, cum ſortibus ſibi adjacentibus. Oſtronsko, Czatonie, Lubcza, Queciſzow Civitatem cum foro, Goreſzowo, Sedlimowicze In diſtrictu autem Znenen:, ipſam Civitatem Znenen: cum foro. Sarbinowo. Biskupino cum ſortibus adjacentibus, Czaple, Janczewo, Goryce, Gulcewo, Dochimowo, Sulimowo, Rybitwy, Preſwryſtew, Dobrylewo, Chomatowo, Sandowo, Wiltzowo, Urzuty,

zuty, Murzyno, Gora, Balonezmo, Pnewo, Luthczowo, ante Pacoscz Podgorzyno, Rylewo & Skarbienice. In territorio quoque Naclen: Wawryscowo, Płoczyce, Cerekwica, & Villam Ecclesiæ de Nakiel dictam Konotoppa. Item in terra Calissiensi Opatow, Zduny, Trojanowo, binum Godzieszowo, Glowczyno, Woikowo, Solec, Tranzowo, Liscowice, Zythowice, Kokanino & Ikne. Item ex alia parte fluvii Prosna, Noskowo, Biskupice, Circa Ołobok, Biskupice dictum Smołki, Búkownica, Suantkowice, Gizyce, & Biskupice, quod Kotłowo dicitur & Sonina. Item in terra Vielunensi Sencza, Raduiewice, Liszowici duas sortes in villa nostra Bobrowniki, Kamona, Kadłub, Gana, Broza, Zalancz, & Widrzyno. In Castellania Landensi, Czarnkowo, Grzegorzowo, Civitatem cum foro Belezowo, Skowelice, Boguszynawoda, Rzuchowo, Cisowe, Grambczowo. Ex alia parte Varthæ. Item in terra Cujaviæ binum Uyma. Biskupice circa Radzieiow, Smogorzewo, & duos lacus dictos Chotle & Bedzdze, inter Villam Chotle & Comorowo consistentium. Kulino in terra Dobrinen. Item has Villas in terra Lancien: villa circa Ecclesiam cum allodio dicto Chotnica, Tomino, cum loco molendini, Podgorzyce, Mchowice, Morakowo, Pantek Civitatem cum foro, Lubinicza, Mancolicze, Zdony, Bankowo, Gizice, Slonewo, quæ tres villæ, in unam villam quæ Bankowo dicitur sunt conjunctæ. Viskwitnica, Lanzniki, Symonowice, Marzyce, Struginicæ, Verzenowice, Gawrony cum villa adjacenti dicta Sulcowo, Sanczczowo, Lanka, Czeczerino, Peczowo, Chełm, Sobotka, cum Pontali, quod vulgò dicitur Mostowe, Crzicoszy, Słupcza, Koczane, Rudolcowo, Solcza minor, Guczowo, in Topola militari duas sortes. Krzepocino, Parundzice, & in Zduny quatuor sortes Prusimovice, Suarna in magna Lecznia tres sortes, in Vozniki quatuor sortes & taberna, in Gambice duæ sortes Mrozowice, Solec, cum adjacenti villa dicta Praze, inter Blone & Dambe unam sortem, quæ dicitur Dulovo. Item Wysokie tres sortes inter Milonice &

ce & Liczki unam ſortem. Item Jankowo, Mirosławice, Sdziehcowo, in Cieſchow, Medietatem, Soſnka, Chrzanſtow, Dobrogoſtowice, Grambinice & Grabiſewo. Item has villas in terra Syradiæ, Civitatem Unieiow cum foro, & Villa eidem conjuncta dicta Kośćielna wieś, Oſtrowska wola, Czymana, Sbiluczice, Orzeskowo, Velemno, Kobelniki, Ubisławe, Nemeslow cum villa Lubiſzczowo, Popowo, Kaichowo, Zarowo, Boryſowice. In Marzenino partem Cancellariæ Gneſnen: Sandzieiowice, Luczezow, Parzno, Srzeſowo, Croſtowo, Drodzino, Potrukozy, Kluki, Reſſotarzewo, Rzanſa, Mantoniſcza, Okradziſzowo, Rzuiewici, cum vola dicta Crzowiech, Golczowice, Grocholice. Item ex alia parte fluvii Varthæ, Spicimierz, Welſzyce, Smolsko, Przykuna, Korytkowo, Rogow, Kowalicz, Turkowice, Turek Civitas cum foro & duabus Villis ſibi junctis. Seucze cum quibuſdam campis de Muchino, Dobrowo, Boſczonowice partem Tundowo, Duſniki, Kokoſzki, Oraczowo, Joroczyce & Onecki. Item has villas in terra Cracoviæ Biskupice, circa Miechoviam, cum villa, quæ dicitur Ligota ſibi adjacente Pruſſy ante Cracoviam. Chroſzczyna prope Kośćielec. Item has Villas in terra Sandomirienſi, Kurzelow Civitas cum foro & decima ſeptima Thelonei, & cum Allodio, quod dicitur Modrzew Goſczancyn cum medio Theloneo pontis, & cum fabrica ferri Szub dicta Wzleca, Dankow, Konieczna. Czerno, Kroiewiczka ante Viſlicam. Item has Villas Capituli Gneſnenſis Dekanowice, binum Piſczyno, Sczavino, Braczeſewo agros Decanatus foris Gneſnam Mnichowo, Paulowo, Kampel, Zydowo, Waliſzewo, Parczewo, Popkowo, Biskupice, Jezercza, Marzanino, Gozdowo, Xiążno, Baranowo, Opatowo, Czernelio binum majus & minus, Sułowo, Wołoſtowo, Smeczyſcza in Mączniki tres ſortes Liubrza, Goſczyczyno, Budzisławe, Sławomierz, Woiuczyno, Szczepanowo, binum Parlino, Berlino, Polanowo, Oſtrowice, Słotkowo, Skarbimirzyce, Kaiowo, Marquacze, Tropeſchino, Woiczyce, Oſtrow, Słup, Skwolno,

Pāpo-

Pápowo, Papiczy seu Kupidłowo, Gosram. Item Villa Sanctuariorum Komorowo, Jezerza, Crzynka, Koczyce, Mokrzko, Dussno, & Galanzowo. Item Malanovo prope Turek. Item Rozdyce terræ Lanciciæ quatuor Sortes & tabernam. In Domanovo unam Sortem. Nempe ipsa bona præmissa eximimus, & penitus liberamus, ac gratiosè absolvimus à Nostra & Castri Citatione, ac à Judicio Nostro, & omnium Palatinorum, Capitaneorum, Castellanorum; Judicum, Subjudicum, & quorumlibet Officialium, quibuscunque nominibus appellentur, præsertim à singulis impetitionibus, seu inquietationibus justitiariorum, qui *Oprawce* dicuntur vulgariter, ipsa bona & ea inhabitantes specialiter fore volumus liberos & exemptos. Sed Dominus Archiepiscopus, & suum Capitulum Gnesneñ, qui pro tempore fuerit ponent in bonis Ecclesiæ Justitiarium, qui eadem Bona Ecclesiæ diligenter visitet, & ea inhabitantes *ab excessibus retrahat, ac ipsos corrigat justitiâ mediante,* si verò ultra cognitionem ejusdem, Justitiarius Nostrum aliquem furem, in prædictis bonis Ecclesiæ percipiet, ipsum præfato Justitiario Ecclesiæ debebit deferre, qui de eodem reddat Justitiæ complementum. Qui quidem Justitiarius Ecclesiæ habeat potestatem recipiendi pœnas in hominibus Ecclesiæ, furti, sanguinis, & homicidii, in his duntaxat, qui Judicialiter, fuerint condemnati, ad quod noster Judiciarius nullum penitus habeat respectum ut præfertur. Præterea damus & confirmamus prædicto Domino Archiepiscopo, & suis Successoribus omnimodam facultatem memorata bona & possessiones Ecclesiæ locandi Jure Teuthonico, prout eis utiliùs videbitur expedire. Quæ quidem bona & possessiones prout in suis circumferentiis continentur, cum omnibus utilitatibus, fructibus, & proventibus vniversis, tam præsentibus, quàm futuris, cum agris, pratis, Sylvis, mericis, rubetis, borris, mellificiis, nemoribus, & cum venationibus ferarum quarumlibet & avium, molendinis, piscinis, lacubus, & aquarum decursibus, & generaliter cum omnibus usibus,

qui in eiſdem bonis nunc habentur, vel haberi poterunt in futurum, cum hominibus habitantibus in eiſdem, tam liberis, quàm obnoxiis eximimus, liberamus & abſolvimus gratiosè ab omnibus ſolutionibus, exactionibus, Collectis, Taliis, Cōtributionibus, tributis, necnon à Podworowe, ac Poradlne, à Sep, à bove, à vacca, à porco, à b ove, à perna, à Stan, à Narzaz, à Przewod, à Podwod, & ab omnibus angariis, & praeangariis, ac à vexationibus quibuſcunque, ab omni quoque ſervitio & ſervitute: & ſpecialiter à foſſione foſſatorum, & ab aedificatione Caſtrorum de novo factorum, vel faciendorum, praeter Caſtra antiqua ultima in Gnezna, in Lancicia, in Sieradz, & in Nakiel, quae dum corruere contigerit, homines Eccleſiae, quodlibet ipſorum Caſtrorum de duabus hubellis adſtricti ſint reformare; necnon ab expeditionibus extra terminos Regni Poloniae emergentibus penitùs ſint exempti. Volumus tamen quod ſi inimici noſtri aliquando inſultu impetuoſo terrarum Gneſnen. Diaeceſ. hoſtiliter invaſerint, homines Eccleſiae viciniores eidem parti terrae, quae invadi debuerit, unà cum terrigenis noſtris, & eorum villanis expediti, prout ipſi villani Militum eiſdem Inimicis occurrere teneantur. Inſuper adiicimus decernen: quod Milites non impediant, nec prohibeant locationem in grandiis villanorum ſuorum, & venditionem liberam Decimarum, ne propter hoc DEus provocetur: cùm juxta jus naturale liberum eſſe debeat, de re propria diſponere, prout placet. Decernimus tamen, quod cùm Decimae per Dominos earum extraneis vendi debuerint: liceat haeredibus ipſas Decimas, in villis propriis, pro eadem quantitate pecuniae, pro qua aliis expoſitae fuerint, ſuis uſibus reſervare: ità tamen, quodſi emptor extraneus paratam pecuniam Domino Decimae in principio emptionis ſuae dare voluerit, ipſe etiam haeres villae pecuniam paratam eidem abſque dilatione ſolvere teneatur. Si verò talis emptor extraneus cautionem fide juſſoriam pro hujusmodi pecunia poſuerit, etiam idem haeres villae pro ipſa cer-

tam ponat hujusmodi cautionem. Etiam declaran: adiici mus, quod sicut Gnesne: Archiepiscopum & suam Ecclesiam meminimus in possessione & perceptione telonei decimæ Septimanæ in infrascriptis Oppidis, & Civitatibus nostris, uti in Calis, in Lancicia, in Petricovia, in Sieradz, in Malogoscz, in Chęczyn, in Spicimierz, in Skrzyna, & in Chocieszow, ita eos volumus remanere perpetuò in perceptione hujusmodi Decimæ Septimanæ telonei supradicti, pacificè & quietè. Interea decernimus specialiter, quodsi quispiam in prædictæ Gnesnen: & ejus Collegiatarum Ecclesiarum prædictarum bonis, aliquam in rebus, seu personis violentiam notoriam fecerit, idem per memoratum Dnum Archiepiscopum & suos Successores, ad satisfactionem condignam censurâ Ecclesiasticâ compellatur. Insuper si homo de bonis Ecclesiæ liber aut obnoxius, per alium hominem nostrum, aut militarem occisus fuerit, teneatur consuetudo circa solutionem mulctæ capitis terrarum, in quibus ipsa homicidia committūtur. Volumus tamen, quod homines Ecclesiæ à solutione pænæ, quæ *Zagłowna* sive *Krwáwa*, *ßeśc grzywien* dicitur vulgariter, penitùs sint exempti & soluti. Item decernimus, quod excommunicati per Judicem, à Judicio repellantur, & ad testificandum, dummodò id in fraudem non fiat nullatenus admittantur. Ordinamus insuper & volumus observari, ut circa limitationes possessionum seu Ecclesiarum superiùs positarum, consuetudo servetur Ecclesiæ, & cujuslibet terræ, quæ hactenus extitit observata. Item concedimus eidem Domino Archiepiscopo, & suis Successoribus, quod possint etiam absentes à Judicio constituere Procuratorem, seu Procuratores, aut Prolocutores in Causis hæreditariis ad agendum, & defendendum, ad inquirendum, seu perdendnm, & hoc per literas ipsorum Sigillis roboratas, cùm ipse noscatur habere possessiones hæreditarias in diversis territoriis Regni Nostri. Porrò quod ultimo ponitur, magis memoriæ commendatur, decernimus ac ordinamus, ac de cætero, per Nos, & quoslibet volumus

per-

perpetuò obſervari, ut Dominus Archiepiſcopus & ſua Gneſn: ac aliæ Superiùs nominatæ Eccleſiæ, cum Clero & populo, in bonis Eccleſiæ habitante, in juribus, conſuetudinibus, commodum & honorem Eccleſiarum tangentibus, & ſpecialiter in juribus ipſis per nos conceſſis & datis plenariè conſerventur. Proteſtamur inſuper Nos vidiſſe, & expoſitas Nobis plenariè intellexiſſe literas Patrum Beatiſſimorum, Eccleſiæ Romanæ Pontificum, veluti INNOCENTIJ II. INNOCENTIJ III. & HONORIJ III. in quibus poſſeſſiones, jura & libertates prædictæ Gneſnen: & ejus Collegiatarum Eccleſiarum conceſſæ & donatæ eiſdem per Principes Poloniæ, noſtros Progenitores pleniſſimè confirmantur, ſpecialiter autem in literis patentibus, dicti Papæ HONORII contineri vidimus ſatis clarè, quod ipſe ad petitionem Ducum infraſcriptorum, Leſconis Cracoviæ, Conradi Maſoviæ, Vladislai de Kalis, & Caſimiri de Opol, Jura, libertates, & poſſeſſiones Lovicienſes, diſtrictûs terræ Maſoviæ confirmavit, ipſumq; diſtrictum cum omnibus villis & poſſeſſionibus, ab omni Juriſdictione & dominio quorumlibet Principum penitùs liberavit. Declaramus etiam pro dubiis amputandis articulum ſeu clauſulam de excommunicatis ſupradictis: quod ſi aliquis excommunicatus in teſtem producatur, repellatur, ut præmiſſum eſt, à teſtificatione, ſed tamen loco ipſius alter teſtis valeat ſubſtitui, ne per hoc, Teſtes producenti aliquod præjudicium generetur. Ut autem prædicta noſtra innovatio, & confirmatio, roboratio, proteſtatio, & omnium præmiſſorum perpetuatio robur obtineat perpetuæ firmitatis, præſentes literas ſcribi fecimus, & Noſtrorum Sigillorum munimine roborari. *Actum Cracoviæ, in Octava Cinerum, Anno Domini, Milleſimo, Treceteſimo, Quinquageſimo, Septimo. Præſentibus his Teſtibus Dominis, Ioanne Iura Caſtellano Cracovienſi, Matthia Poſnanienſi, Imbramo Cracovienſi, & Ioanne Lancicienſi, Palatinis, Przeclao Poſnanienſi, Dobeslao Viſlicenſi, Zawiſſa Sandecenſi, & Ioanne Woinicenſi, ac Hebda Siradien. Caſtellanis, Petro Tribuno, & Andrea Succamera-*

mera-

merario Cracovienſi, ac Dobeslao Iudice Caliſſienſi, necnon Ioanne Cracovienſi, Ottone Poloniæ, Floriano Lanciciæ, & Hermano Cujaviæ, Cancellariis, terrarum Regni Noſtri, ac aliis pluribus fide dignis. Datum per manus ejusdem Ioannis Cancellarii Cracovienſis, Scriptum per manus Gregorii Notarii Curiæ Noſtræ.

Confirmavit Sigiſmundus Primus Petricoviæ in Conventione Generali, *Anno 1548.*

Idem CASIMIRVS recognoſcit Ordinẽ Spiritualem, liberè ſubſidiũ charitativũ cõtribuiſſe, nec ad aliud obligari.

CASIMIRUS DEI gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Hæres Ruſſiæ, & Dñus Pruſſiæ &c. Significamus tenore præſentiũ, quibus expedit univerſis præſentibus & futuris, præſentiũ notitiam habituris. Quomodo Rñſſimus in Chriſto Pater Dñus Joãnes Eccl: Gneſnen: Archiepiſcopus & Primas, cum Reverẽdiſſimis, Reverẽdis, Nobilibus, Egregiis & Honorabilibus Dominis Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis & Canonicis, ac Rectoribus Eccleſiarum, totoq; Clero ſuæ Provinciæ Regni Noſtri, neceſſitatem ac opportunitatem, rerumque Pruſſiæ per nos cæptarum, ac gravitatem, & difficultatem, quarũ debita conſũmatio, ſumptus, & impenſas multas requirit perpẽden:, & attenden: volentes præmiſſis ſubvenire, votiva noſtra petitione moti, Regniq; noſtri ſtatum pacificum, ac ejus incrementum utile affectan. Subſidium Charitativum, non ex aliquo jure, aut debito, ſed ex mera & ſpontanea voluntate, dederunt & fecerunt. Ne autem hujuſmodi ſubſidium, per Nos, aut per Noſtros Succeſſores in ſequelam trahatur, recognoſcimus publicè pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris, & per expreſſum per præſen: profitemur. Quod ipſe Reverendiſſimus Dominus Joãnes Archiepiſcopus Gneſnen: & Primas,

unà cum Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, Canonicis, Rectoribus, totoq; Clero ſuæ Provinciæ hujuſmodi Subſidium charitativum liberè volūtariè, & ſpontaneè dederunt & fecerunt, nec ad hujuſmodi Subſidium dictæ Provinciæ Gneſnen: Prælatos & Clerum pro Nobis aut Succeſſoribus noſtris faciendum & dandum futuris temporibus, occaſione hujuſmodi donationis gratuitæ, volumus ex debito obligare. In cujus rei teſtimonium Sigillum Noſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. *Datum in Grodno, Feriâ ſecunda, poſt S. Valentini proxima. Anno Domini, Milleſimo Quadringenteſimo, Quinto.*

Locus Sigilli penſilis. Relatio Venerabilis Thomæ de Strzampmo Magni in Theo-Decretorū Doctoris & Reg: Polon, Vice-Cancellarii.

Privilegium ejuſdem CASIMIRI ſuper Primeitate Auctoratûs in Cauſis limitū.

CASIMIRUS DEI gratiâ, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ,& Hæres Pruſſiæ,Magnificis,Generoſis, Strenuis & Nobilibus, Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Judicibus, Subjudicibus, Succamerariis, ac cæteris omnibus Officialibus, Judicibus Noſtris Regalibus & Terreſtribus, Terrarum Majoris Poloniæ, Cracoviæ, Sendomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Vielun: Præſiden. fidelibus Nobis dilectis gratiam & favorem Regium. Fideles noſtri dilecti. Expoſuit coram Majeſt: Noſtra Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Vincentius S. Eccleſiæ Gneſnen: Archiepiſcopus & Primas. Quomodo dum & quando quæſtiones & cauſæ ſuboriuntur in Judiciis Noſtris Regalibus & Terreſtribus, de & ſuper limitatione villarum, poſſeſſionum & bonorum Eccleſiæ Gneſnen: ſeu ipſum Dominum Archiepiſcopum, & menſam ipſius ex una, ac Nobiles Terrigenas Terrarum prædictarum, partibus ex altera, recuſatis admittere præfatum Dñum Ar-

chie-

chiepiscopum & Eccl: Gnesnen: ad Primeitatem limitationis & designationis limitum, aliàs ná Powodstwo, cum tamen Ecclesia Gnesnensis & Archiepiscopus pro tempore existens, ex Privilegiis, & literis Prædecessorum Eccl: Gnesnen: præfatæ id habeant de Jure in Terris Regni Nostri prædictis, prout ex tenore dictorum Privilegiorum vidimus contineri. Ideò vobis omnibus conjunctim & divisim districtè præcipiendo mandamus, quatenus quotiescunque quæstiones & Causas, super Limitatione villarum, possessionum, & quorumcunq; bonorum Ecclesiæ Gnesnensis sæpè fatæ, & præsertim mensæ Archiepiscopalis, inter ipsum Dnum Archiepiscopum, aut suam Ecclesiam ex una, & quoscunque terrigenas Terrarum dictarum, quibuscunq; censeantur nominibus, & cujuscunq; dignitatis aut præeminentiæ existant partibus ab altera exoriri contigerit, in Judiciis, vel extra præfatum Dominum Archiepiscopum, Ecclesiam & Mensam ipsius ad Primeitatem designationis Limitationum hujusmodi, aliàs ná powodstwo admittatis. Secùs non facturi, gratiæ nostræ sub obtentu. *Datum in Conventione Petricoviensi generali, Feriâ quartâ proximâ post Festum S. Bartholomæi Apostoli gloriosi. Anno Domini, Millesimo, Quadragesimo, Septimo. Nostro Sigillo præsentibus subappenso. Dominus Rex per se.*

Confirmarunt SIGISMUNDUS Primus, Cracoviæ in Conventione Generali, Feriâ quartâ ante Festum S. Dorotheæ Virginis & Mart: gloriosæ proxima, Anno 1539.

Et SIGISMUNDUS AUGUSTUS Cracoviæ, ultima Mensis Aprilis, *Anno 1559.*

Privilegia Prærogativarũ Archiepiſcopi Gneſnẽſis à CASIMIRO Magno cõceſſa, per VLADISLAVM & SIGISMUNDUM I. Reges, cõfirmata.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam. Acta hominum adeò ſunt fluxa & caduca, ut niſi literarum monumentis ab oblivione vendicentur, omnino ſint diuturnitate temporis interitura. Quamobrem Nos SIGISMUNDUS, DEI gratiâ Rex Poloniæ, Supremus Dux Lithuaniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Syradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Culmen, Elbingen: Pomeraniæq; Dominus & Hæres. Significamus præſentibus literis, quorum intereſt univerſis. Exhibuiſſe coram Nobis in conſeſſu Conſiliariorum Noſtrorum, Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Nicolaum Dzierzgowski, Archiepiſcopum Gneſnen: Legatum Natum & Primatem, literas pargameneas, Sigillo appenſo Sereniſſimi olim Principis Domini VLADISLAI Regis Poloniæ, Avi Noſtri deſideratiſſimi, obſignatas, eam prærogativam Dominis Archiepiſcopis Gneſn: conceſſam continentes, ne in quibuſcunq; Judiciis Regni noſtri, pro quibuſcunq; Cauſis vocati, perſonaliter cõparere teneantur. Quæ literæ etſi nulla in parte ſuſpectæ erant, tamen negligentiâ quâdam ità in uno loco corruptæ, ut legi nulla ratione poſſent. Supplicavit itaq; Nobis, ut proſpicere dignaremur, ne Privilegium Prædeceſſoribus illius, & Eccl: Gneſnen: conceſſum ejuſmodi negligentiâ intereat. Nos verò pro noſtro in retinendis omnium privilegiis, & in Eccleſias Dei, ſtudio, literas prædictas deſcribi mandavimus, & quæ deſiderabantur ſuppleri, de certa ſcientia noſtra, & Conſiliorum noſtrorum aſſenſu juſſimus, ità, ut in ſerie literarum ſenſus conſtaret. Quarum literarum tenor eſt iſte.

In

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum & dubiorum prudenter occurrimus incommodis, dum geſta ætatis noſtræ, literarum apicibus, & teſtium annotatione perennamus. Proinde Nos VLADISLAUS DEI gratiâ Rex Poloniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sendomiriæ, Syradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Lithuaniæq; Princeps Supremus, Pomeraniæ, Ruſſiæq; Dominus & Hæres &c. Significamus tenore præſentium, quibus expedit univerſis, præſentibus & futuris, præſentium notitiam habituris. Quomodo in Noſtra, Baronumq; Noſtrorum præſentia, conſtitutus Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dñus ALBERTUS, DEI gratiâ S. Gneſn: Eccl: Archiepiſcopus & Primas, ſincerè Nobis dilectus, quandam literam cum Sigillo Majeſt: Sereniſſimi Principis Domini CASIMIRI Divæ memoriæ olim Regis Poloniæ, Prædeceſſoris Noſtri exhibuit & produxit, petens quatenus prædictam literam, de innata Celſitudinis Noſtræ clementia ratificare & approbare dignaremur. Cujus quidem literæ tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis. CASIMIRUS DEI gratiâ Rex Poloniæ. Fidelibus ſuis Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Procuratoribus, Judicibus, Subjudicibus, & univerſis, quorum notitiæ exhibitum erit præſens ſcriptum, gratiam ſuam. Cùm Venerabilis in Chriſto Pater Dñus Jaroslaus Dei gratiâ Eccl: Gneſnen: Archiepiſcopus, propter diverſitatem locorum, in quibus bona Archiepiſcopalia ſita ſunt, & hæreditatum Eccl: prædictæ pluralitatem à ſe & inter ſe diſtantium per quoslibet Citatus in terminis judicialibus commodè non valet comparere, & prædictis perſonaliter intereſſe: ad noſtram Baronumq; noſtrorum præſentiam accedens, Nobis inſtantiùs ſupplicavit, ut ſibi hanc gratiæ prærogativam largiamur, quod in hæreditaria, vel quavis alia quæſtione in quemlibet agendi, aut etiam de ſe cuilibet querulanti, per Procuratores ſuos legitimos, ſuo & Capituli ſui nomine conſtitutos, ratum, gratum, atq; firmum habere promittens, quidquid in Cauſis Eccleſiæ ſuæ & hæreditatum ipſi-

us quilibet per Procuratores suos prædictos, in Judiciis Secularibus quibuslibet esset actum, procuratum, ordinatum, atque factum. Nos igitur in hoc non aliud, quàm quod unicuique reddatur justitiæ plenitudo, affectantes, ne per frequentationem diversorum Judiciorum & locorum, Archiepiscopalis dignitas vilescere videatur, & inter graves & universales, mediocresq; personas, differentia saltem habeatur aliqualis, vobis singulariter singulis superiùs scriptis, & generaliter universis auctoritate præsentium præcipiendo mandamus, quatenùs Dñum Archiepisc: prædictum, per procuratores suos idoneos, cum instrumento, vel saltem cum literis, suo Archiepisc: & Capituli Gnesnen: Sigillis de ratihabitione signata, vel signatis quos ad causam, vel causas miserit, vel deputaverit, elegerit, aut duxerit eligendos, seu mittendos in quæstionibus hæreditariis, seu hæreditatem, vel hæreditariam quæstionem contingentibus, causis etiam magnis & parvis in quemlibet licitè, ac sine contradictione agere sua absentia non obstante permittatis. Sic quod etiam in similibus de se conquerenti, vel conquerentibus, modo simili respondere teneatur. In cujus rei testimonium, & evidentiam pleniorem præsentes dare fecimus nostri Sigilli munimine roboratas. Actum in Gnesna, feriâ tertiâ post diem SS. Viti & Modesti Martyrum. Anno Domini 1343. Præsentibus Nobilibus Nostris Jaroslao Posnanień, Nicolao Calissień, Palatinis, Andrea Castellano, Nicolao Judice Posnanień. Dobeslao Judice Calissiensi, & aliis multis fide dignis. Datum per manus Domini Ottonis Cancellarii Poloniæ. Nos verò Vladislaus Rex prædictus, præfati Reverendissimi Patris Domini Alberti, Archiepiscopi Gnesneń, petitionibus tanquàm justis & rationabilibus benigniter acclinati, prænominatam literam in omnibus suis articulis, clausulis, conditionibus, atque punctis tenore præsentium ratificamus, gratificamus, & approbando confirmamus: Decernen: ipsas robur obtinere perpetuæ firmitatis harum, quibus Sigillum Majestatis nostræ appensum est

testi-

testimonio literarum. Actum in Sandomiria feriâ quintâ infrâ Octavas Nativitatis B. MARIÆ Virginis. Anno Domini, Millesimo, Quadringẽtesimo, Vigesimo Sexto. Præsentibus ibidẽ Reverendis in Christô Patribus Joãne Archiepiscopo Leopolieñ, Zbigneo Episcopo Cracovieñ, Magnificisq; Christino de Ostrow, Castellano Cracoviensi, Joãne de Tarnow Cracov: Sandivogio de Ostrorog, Posnanieñ, Nicolao de Michałow, Sandomiriensi, Jacobo de Koniecpole, Syradieñ, Palatinis, & aliis fide dignis. Datum per manus Venerab: Joannis Decani Cracovien: Regni Nostri Cancellarii, & Stanislai Ciołek, Custodis Gnesnensis, ejusdem Regni Vice-Cancellarii, sincere Nobis Dilectorum. Dominus Rex per se. Quas quidem literas ita Mandato Nostro, de certa scientia nostra, & assensu Consiliariorum nostrorum correctas & suppletas, in omnibus punctis, clausulis, & articulis approbamus & confirmamus, roburq; perpetuæ firmitatis habere decernimus, harum, quibus Sigillum Nostrum est appensum testimonio literarum. Datum Petricoviæ in Cõventione Generali, Sabbatho postridie Epiphaniarum. Anno Domini 1548. Regni Nostri 41. Præsentibus Reverendissimo & Reverendo in Christo Patribus, Dominis Nicolao Archiepiscopo Gnesnensi Legato Nato & Primate. Samuele Cracovieñ & Regni Nostri Cancellario, Andrea Cujaviensi, Benedicto Posnaniensi, Andrea Ploceñ, Episc: necnon Magnificis, Generosis & Venerabilibus, Joanne Comite in Tarnów, Castellano Cracoviensi, Exercituum Regni Nostri Supremo, ac Sandomiriensi, Strieñ Lubaczoviensisq; Capitaneo. Petro Kmita Comite in Wisnice Cracoviensiq; Regni Nostri Mareschalco, ac Cracovieñ, Premislieñ, Scepusieñ, Coleñsiq; Capitaneo, Janussio Latalski Posnanieñ, Inovladislavieñ, Sluchoviensiq; Capitaneo, Joanne Comite de Tęczyn, Sandomirieñ, Curiæ Nostræ Mareschalco, ac Lublineñ, Loloviensiq; Capitaneo, Joanne de Kościelec, Inovladislavieñ, & Brestieñ, Dobrzyneñ, Kowaleñsiq; Capitaneo, Felice Strzenski de Sokołowo Ploceñ, Palatinis & Margenburgeñ Plocenq; Capitaneo, Andrea Comite

mite à Gorka, Posnanień, & Majoris Poloniæ Capitaneo Generali, Nicolao Wolski Sandomirień, Sereniſſimæq; Conjugis Noſtræ Magiſtro, ac Sanoceń, Viſneń, Łomzeń, Lanckorunenſiq; Capitaneo, Martino Zborowski Caliſſień, ac Stobniceń, Odalanovień, Szydłovienſiq; Capitaneo, Stanislao de Przerąb Syradień, Sigiſmundo Parzniczewski Lanc. Eraſmo de Kretkow, Brzeſteń, & Capit. Piſdreń, Stanislao Maciejowski Lublineń, & Capit. Zawichoſtenſi, Joanne Ocieski, Biecen. & Capit: Sandeceń, Nicolao Grabia, Chelmeń. Regni Noſtri Vice-Cancellario, & Capitan. Luboneń, Georgio Konarski, Miedzirzeceń, Caſtellan: Jacobo Uchanski, Decano Plocenſi, Archidiac: Varſavienſi, & Canonic: Cracov: Valentino Dambinski Referendariis Curiæ Noſtræ, Joanne Przerębski Præpoſito & Cancellario, Andrea Przedawski Decań Poſnanień, & Canon: Stan. Hoſio Juris Utriuſq; Doctore & Canon: Cracovień, Secretariis Noſtris, & aliis quàm plurimis Official. & Aulicis Noſtris Epiſc. *Datum per manus præfati Reverēdi in Chriſto Patris D. Samuelis Epiſc: Cracovienſis, & Regni Noſtri Cancellarii.*

Samuel: Epiſc: Crac: & R. Pol: Cancellarius.

PRIVILEGIUM VLADISLAI REGIS, contra injurias & damna.

VLADISLAUS DEI gratiâ, Rex Poloniæ, Pomeraniæ Princeps Supremus, & Hæres Ruſſiæ, &c. Significamus tenore præſentium quibus expedit univerſis, quomodo ex conqueſtione & propoſitione Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Alberti Sanctæ Gneſneń Eccleſiæ Archiepiſcopi & Primatis Nobis ſincere dilecti luculenter concepimus, & de pleno docti ſumus, qualiter Nobiles Majoris Poloniæ, & aliarum Terrarum, Hæreditatum quæſtiones actioneſq; cum ipſo Domino Archiepiſcopo, & cum bonis Eccleſiæ ipſius Gneſnenſis

ſneñſes habentes in colloquiis & Judiciis, ad quæ ipſum Dominum Archiepiſcopum Gneſnenſem vocari contingit, aut etiam non vocari eidem ſibi pro pœnis granitiis, ac aliis factis graves injurias inferunt, ſicq; per occaſiones pænarum, mulctarum, & alios modos, prata, campos, piſcinas, mellificia, & alia, ſcilicet borros, ſylvas, terraſq; ſibi & bonis Eccleſiaſticis abſtrahunt, & ea ſibi uſurpare & appropriare conſueverunt contra Deum & juſtitiam: non obſtantibus etiam diſtinctionibus juſtis, per cumulos aut ſcopulos, & per ſigna arborea factis. Quæ omnia plerumque ipſi Subditi noſtri faciunt, in ipſius Domini Archiepiſcopi & ſuæ Gneſnen: Eccleſiæ magnum præjudicium & gravamen ad pænas, & temeritates ſuas, exinde capientes originem, quòd tanquàm juſtè & juridicè pro diſtinctionibus limitum & damnis aliis quàm injuriis per Archiepiſcopos, aut ipſorum ſubditos, procuratores, & factores eorum agentes lucrarentur, ipſos penitùs pænas ſeu mulctas, propterea in Regno Noſtro de Jure & conſuetudine allegatas obligataſq;, pro quo Deum & juſtitiam offendunt. Unde Nos bona ejuſdem Sanctæ Gneſn. Eccleſiæ tam injurioſis oppreſſionibus & diſpendiis ſupportare cupientes, & eidem Reverendiſſimo in Chriſto Patri Dño Alberto & pro tempore Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, & Primati, ſpecialium gratiarum largitione ſubvenire, ſibi omnes pænas nos & noſtros Capitaneos, alioſque Judices concernen. de ſeipſo & ipſius litis competitoribus in cauſis, pro graniciarum diſtinctionibus ipſarum imò violationibus earundem & etiam quorumcunque factorum injuriis & damnis inde ſecutis, eidem Domino Archiepiſcopo, ſuiſq; Succeſſoribus perpetuò damus & concedimus tollendas, exigendas, & levandas contradictione Capitaneorum, & quorumlibet Officialium ipſorum nulla obſtante, aut impediente. Quocirca vobis Capitaneis, Palatinis, Caſtellanis, Succamerariis & quibuſvis Dignitariis & Officialibus Noſtris, ubilibet in Regno Noſtro, & præſertim in terris Majoris Poloniæ, Syradiæ, Lan-

 ciciæ,

iciæ, Cujavi æ, Wieluń, & aliis præſentibus requirentes noſtris firmis damus Regiis in mandatis, quatenus eundem Dominum Albertum, & pro tempore Archiepiſcopum circa hanc conceſſionem pænarum hujuſmodi relinquere, debeatis, ipſosque perpetuo in pænarum ipſarum exactione nullatenus impedire præſumatis, ſed potiùs ſibi in exigendis ipſis volumus auxilium per vos præſtari & juvamen. Decernen. eam conceſſionem noſtrâ perpetuam eſſe & fore. Igitur, aliud pro gratia noſtra facere non auſuri. Harum quibus Sigillum Noſtrum eſt appenſum. *Datum Sendomiriæ, in Feſto Nativitatis S. MARIÆ Virginis glorioſæ. Anno Domini. 1421. Relatio Venerabilis Domini S. Ciolek, Cantoris Cracov: Regni Poloniæ Vice-Cancellarii.*

PRIVILEGIUM VLADISLAI REGIS.

Quòd Archiepiſcopus non tenetur perſonaliter in Iudiciis comparere.

vide ſupra, fol: 178.

Privilegium VLADISLAI, Oppida & Civitates erigēdi, Fora, & Nundinas inſtituēdi, & libertatis à medietate Teloniorum.

IN Nomine Domini Amen. Cùm inter hujus marceſcibilis vitæ delicias tranſeuntes, præſtantius bonum ſit æternorum præmiorum conſtruere fundamenta. Proinde Nos Vladislaus Dei gratiâ Rex Poloniæ, Lithuaniæq; Princeps Supremus, & Hæres Ruſſiæ &c. Significamus tenore præ-

præsentium universis tam præsentibus, quàm futuris. Quod attentis multarum virtutum affectuosis meritis, quæ Reverendissimus in Christo Pater Dominus Nicolaus S. Gnesnen: Ecclesiæ Archiepiscopus nobis sincerè dilectus, Celsitudini Nostræ, Regno ac Coronæ prædictis à retroactis dudùm temporibus utiliter ac operosè exhibuit, & exhibere potuit ferventiùs in futurum recepto ab eodem Domino Archiepiscopo tam Nobilium, quàm Civitatensium Incolarum Regni nostri testimonio fide digno, quòd incolæ Oppidorum & Civitatum suarum, ac dictæ Gnesnen: Ecclesiæ cum quibuscunq; rebus seu mercimoniis & mercantiis suis, per Terras Regni, ac Dominiorum Nostrorum transeuntes, medium telonium tantummodò solvere consueverunt ex antiquo. Ipsos circa eandem solutionem medii telonii duntaxat dimisimus, & tenore præsentium dimittimus, perpetuis temporibus duraturam: memoratoque Domino Nicolao Archiepiscopo & Successoribus suis dictæ Ecclesiæ Gnesnen: Archiepiscopis pro tempore, de innatæ nobis liberalitatis clementia, vestigiis Prædecessorum nostrorum Regum Poloniæ inhærentes, ob spem salutis eorum ac Progenitorum nostrorum, & remissionem peccaminum, meritis Beati Adalberti Martyris participes fieri cupientes, benigniter concessimus, permisimus, indulsimus, ac præsentibus concedimus, permittimus, & indulgemus. Oppida nova & Civitates in bonis suis & dictæ Gnesnen: Ecclesiæ Jure Theutonico Srzeden: erigere, locare, fora quoque seu forum septimanale nundinis, seu annuale, in eisdem ponere, juxta ipsius Domini Nicolai Archiepiscopi, & Successorum suorum beneplacitum, quacunq; die renovent, ab eisdem Oppidis, seu Civitatibus per ipsum Dominum Nicolaum Archiepiscopum, & eosdem Successores suos Archiepiscopos Gnesnen. collocandis, seu erigendis, omnia Jura Polonicalia, modos, & consuetudines universas, quæ ipsum Jus Theutonicum Srzeden: prædictum plerumq; consueverunt perturbare ut ad eadem Oppida, seu Civitates foraque Septimanalia, aut annualia populi u-

triuſq; ſexûs undecunq; confluere, & mercantias ſuas in eiſdem liberiùs valeant exercere. Quorum oppidorum ſeu Civitatum incolas de Jure & Privilegio gaudere volumus, quô reliqua Oppida & Civitates dictæ Gneſnen: Eccleſiæ, ac etiam noſtræ Regales gaudere & potiri dignoſcuntur. Inſuper memorato Domino Nicolao Archiepiſcopo, ac eiſdem Succeſſoribus ſuis, & dictæ Gneſnen: Eccleſiæ permittimus, indulgemus, & de ſpeciali gratia condonamus bona ſua duntaxat in quibuſcunque rebus conſiſtentia, nullis penitùs exceptis, & excluſis, ſive per terras, ſive per aliquas Dominiorum noſtrorum ac Regni noſtri durare poſſint & valeant liberè abſque alicujus telonii ſolutione temporibus ſimiliter perpetuis durat. Ut igitur prædicta noſtra indulgentia ſeu donatio robur obtineat perpetuæ firmitatis, præſentes literas ſcribi, & noſtri appenſione Sigilli juſſimus communiri. *Actum & datum in Ieldena, feriâ ſecundâ poſt Dominicam. Eſto mihi. Præſentibus Strenuis Militibus noſtris dilectis, Iacobo de Koniecpole, Palatino Syradień. Chryſoſtomo de Oſtrow. Nicolao de Michałow Sandomirień: & Woynicień: Caſtellanis. Ioanne Kuropatwa, Iudice Lublineń: Petro Schaffraneo, Subdapifero Cracovień: & Petro Włodkonis de Charbinowice Capit. Halicień: & aliis multis fidelibus noſtris fide dignis. Anno Domini, Milleſimo, Quadringenteſimo Sexto.*

Confirmavit SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Petricoviæ, in Conventione Generali, *1550.*

Reſcriptum SIGISMUNDI, I. contra Excommunicatos.

SIGISMUNDUS DEI gratiâ Rex Poloniæ, M. D. L. Ruſſiæ, Pruſſiæq; Dominus & Hæres &c. Univerſis & ſingulis Terrarum & Diſtrictuum Regni Noſtri Capitaneis, Vice-Capitaneiſq; eorum ubilibet conſtitutis, ad quos præſen-

tes pervenerint, sincerè & fidelibus dilectis, gratiam nostram. Magnifici, Generosi, & Nobiles sincerè & fideles dilecti. Quamvis Statutorum vigore, per felicis memoriæ Prædecessores nostros, ad excommunicatos Regnicolas antiquitùs recenterq; editorum locorum Capitanei excommunicatos eosdem Regni Nostri Incolas, qui Censuras Ecclesiasticas pertinaciter sustinent, nostra & Capitaneatuum Autoritatibus compellere debeant ad absolutiones obtinendas: tamen quia intelleximus ex Reverendissimo in Christo Patre Domino Joanne Archiepiscopo Gnesnensi, & Primate sincerè Nobis dilecto, quod vos locorum Capitanei consueveritis cognitionem & examen quoddam præmittere de efficacia excommunicationum ipsarum, & tandem statutum exequi aut differendo non exequi, propter quod nos effectui Statutorum eorundem satisfacere cupień. Mandamus vobis, ut dum per ipsum Dominum Archiepiscopum, & Successores suos literis significatorialibus Archiepiscopalibus vobis intimatum fuerit, qui talis cujuscunque eminentiæ, aut conditionis fuerit excommunicatus, Censuras Ecclesiasticas contumaciter pertinaciterq; ultra anni unius & sex Septimanarum decursum sustinet, vos & quilibet vestrum, visis eisdem prædictis Archiepiscopalibus literis significatorialibus quemlibet talem excommunicatum, vobis pro excommunicato, contumaci, pertinaci, & scandaloso delatum, non præmissâ solennitate, seu examine super Censuris & eorum Processibus, sed visis tantummodò significatorialibus prædictis Archiepiscopalibus literis, Partibus tamen vocatis, ut se procurent absolvi requisitis, si istud facere distulerint, juxta Statutorum dispositiones compellatis ad absolutiones obtinendas, statutorum rigorem atque vigorem in eis executuri, absque dilationibus & favore, aliterque facere non ausuri, pro gratia nostra, ac sub pænis contra se in Statutorum Capitulo contentis. Harum quibus Sigillum Nostrum est appensum testimonio literarum. *Datum in Brzeście Lituania, præsente præfato Domino Ar-*

chiepiſcopo, ferià 5ta infrà octavam Domini. Anno ejuſdem 1516to. Regni Noſtri IX.

Ejuſdem SIGISMUNDI Privilegium, quo ſubditi Gneſnen: à Telonior: Pontalium, aggeralium, & Foralium exactione liberantur.

AD perpetuam rei memoriam. Nos Sigiſmundus, Dei gratia Rex Poloniæ, M. D. L, necnon Terrarum Cracoviæ, Sendomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cujaviæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Culmeñ Elbing: Pomeraniæq; Dominus & Hæres. Significamus tenore præſentium Uniuerſis quibus expedit præſentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quia dùm exponerent Nobis ſubditi noſtri Incolæ Civitatum, & Oppidorum noſtrorum Regni noſtri, adverſus Reverendiſſimum in Chriſto Patrem ac Dominum Joannem de Lasko S. Gneſneñ Eccleſiæ Archiepiſcopum & Primatem, Sedis Apoſtolicæ Legatum Natum ſincerè nobis dilectum, ejuſque vices gerentes & factores Archiepiſcopales, quomodò ipſi exigerent ex Civitatibus & Oppidis Archiepiſcopalibus telonia, pontalia, aggeralia, & foralia, diebus fororum Annualium, ſuos verò Subditos negotiatores & Incolas Civitatum, Oppidorum & bonorum Archiepiſc: ad ſimiles & ſolutiones teloniorum, pontalium, aggeralium & foralium in Civitatibus & Oppidis veſtris non permitterent compelli, ex eadem neceſſitate querelarum, quando idem Dominus Archiepiſcopus hortatu noſtro literas & Privilegia Eccleſiæ ſuæ Gneſnenſis originaliter coram nobis, & Conſiliariis noſtris, hic in præſentiarum exhibuit, comperimus in eiſdem Privilegiis per expreſſum contineri deſcripta omnia bona hæreditaria Eccleſiæ prædictæ Metropolitanæ ac Collegiatarum & Capitularium Eccleſiarum,

& Di-

& Diœcesis Gnesnensis specificè descripta, per nostros Antecessores, Divos olim Poloniæ Reges, ac Duces Poloniæ, & Masoviæ, Ecclesiæ Gnesnensi donata, eidemq; perpetuò incorporata. Necnon libertates exemptiones & prærogativas hominibus Urbanis, Oppidanis, & Villanis, Subditis universis & singulis eorundem bonorum, per eosdem Nostros Antecessores ac Duces Poloniæ, ante tempora felicis Regiminis & Regni recolendæ memoriæ CASIMIRI MAGNI, & denuò per eundem MAGNUM CASIMIRUM datas & concessas, specialiter autem per ipsum MAGNUM CASIMIRUM, & successivè per alios Reges, & per nosipsos confirmatas, quibus median: negotiatores & Incolæ Civitatum, Oppidorum, Villarum & bonorum Archiepiscopalium Ecclesiæ Gnesnensis prædictæ, à solicitudine horum teloniorum, pontalium, aggeralium, foraliumq; ubique locorum Regni nostri liberati sunt, & exempti perpetuò, quorum omnium Privilegiorum, coram Nobis, exhibitorum tenorem propter ipsorum prolixitatem præsentibus inserere omisimus. Quapropter Nos cum Consiliariis nostris utriusque sexûs in hac Conventione nobiscum agentibus, & in præsentia subditorum nostrorum querelas prædictas exponentium, visis, lectis, auditis, & recensitis privilegiis hujusmodi Archiepiscopalibus, eadem Privilegia tanquàm justa & omni prorsus nota suspicionis carentia,, & omnia in eis contenta, una cum præfatis libertatibus, exemptionibus, prærogativis, in eisdem specificè descriptis videlicet de non exigendis teloniis & pontalibus, aggeralibus, ac foralibus in locis quibuscunque Regni Nostri à præfatis negotiatoribus Subditis, & Incolis bonorum Archiepiscopalium, salvis tamen teloniis novis Regalibus nostris ac telonio Sandomirien: à bobus solvi consueto, ac omnia alia & singula superiùs contenta expressa & specificata ex certa scientia & auctoritate Nostris Regiis, ac de consilio, & unanimi voto prædictorum nostrorum, & Regni Nostri Consiliariorum approbañ, ratificañ, & confirmañ, duximus, approbamus.

bamusque ratificamus, & confirmamus, decernen prout decernimus omnia & singula præmissa, in præfatis Privilegiis originalibus specificè descripta perpetuò duratura, tenore præsent: median: sicque præsenti Nostro privilegio non secùs, quàm originali prædicto, latiùs singula exprimenti, in omnibus Judiciis Regni Nostri Spiritualibus & Secularibus, & aliàs ubilibet quoad observationem præmissorum, præsertim verò ad teloniorum, aggeralium, pontalium, & foralium liberationem, ad aliasq; exemptiones, ab omnibus, quorum interesset, plena fides ubique habeatur. Præterea decrevimus institutionem exactionem teloniorum pontialium, aggeralium, & foralium hujusmodi, quibuscunque personis, & exquacunq; causa antiquitùs vel etiam denuò per nos, aut Antecessores nostros concessam, ad Subditos hujusmodi Archiepiscopales, & Ecclesiæ Gnesnensis prædictæ, extendere se non posse, neque debere quomodolibet in futurum. Ne autem sub umbra & colore hujusmodi negotiatorum Archiepiscopalium prædictorum, alii negotiatores nostri, vel Subditorum Nostrorum à solutione hujusmodi teloniorum, & pontalium, aggeraliumque ac foralium nostrorum quibuscunque cautelis se subtraherent: cum nostro & Reipubl: Regni nostri detrimento & incommodo volumus & ordinamus, ut iidem ipsi negotiatores & Subditi Ecclesiæ Gnesnen: ad loca dictorum toloniorum & pontalium aggeraliumq; & foralium hujusmodi venien. Exactoribus nostris Successorumque nostrorum ab eis substitutis pro tempore existentium, toties, quoties *iverint, se repræsentent cum literis testimonialibus titulo & Sigillo Archiep:* pro tempore existen: communitis & obsignatis, manuq; propria ejusdem Archiepiscopi Gnesnensis subscriptis, eundem negotiatorem, Subditum suum, Ecclesiæq; suæ Gnesnen, & res ejusdem negotiatoris & non alterius esse testificantis. Et quoniam certum habemus, multas esse Civitates, & Oppida Nostra regalia Subditorumq; Nostrorum quorum Incolæ ab omnibus telontis & favoralibus, eorumque solutione, favore

Nostro

Noſtro Regio, Prædeceſſorumq; noſtrorum accedente, ſunt exempti. Igitur volumus, & decernimus, ut ſi privilegia, & conceſſiones libertatum præfatarum Archiepiſcopalium Eccleſiæ Gneſnenſis & Subditis ejus, ut præmiſſum eſt conceſſarum, priores eſſe viderentur, ex tunc iidem Subditi noſtri, ac Subditorum noſtrorum quorumcunque in Civitatibus & Oppidis menſæ Archiepiſcopalis, de teloniis & pontalibus aggeralibuſq; ac foralibus, Domino Archiepiſcopo pro tempore exiſtent: reſpondere, obligati ſunt & adſtricti. Alioquin vellemus eſſe liberos à ſolvendis præmiſſis, & exemptos ipſo facto. Quocirca vobis univerſis & ſingulis Dignitariis & Officialibus teloniatoribus veſtraſq; vices geren: ac cæteris ad quos pertineret, inhibemus præſenti mandato, quatenus præfatum Dominum Archiepiſcopum, & pro tempore exiſtentem, ſubditoſq; præfatos Eccleſiæ Gneſnen: in eiſdem libertatibus & prærogativis ſuperiùs expreſſis conſervetis, & quantum in vobis eſt, ab aliis omnibus conſervari faciatis. Certum habituri, ut ſi aliquis veſtrum, præfatis libertatibus Eccleſiæ Gneſnenſis in parte vel in toto, vel per ſe, vel per alium contravenerit, eundem Dominum Archiepiſcopum modernum, & pro tempore exiſtentem, Cenſuris Eccleſiaſticis & interdictionibus ſe præmiſſorum occaſione proceſſurum. Secus igitur pro gratia Noſtra Regia non facturi. Quam quidem ordinationem ſuperiùs expreſſam per nos prout & Anteceſſores noſtros modo præmiſſo factam volumus, & præſentis noſtri perpetui privilegii vigore decernimus, perpetuis temporibus valituram. In cujus rei teſtimonium, Sigillum Noſtrum præſentibus eſt appenſum. Actum Petricoviæ in Conventione Generali, feriâ ſextâ poſt feſtum Sancti Matthiæ proxima, Anno Domini, Milleſimo, Quingenteſimo, Decimo nono. Regni verò Noſtri anno decimo tertio. Præſentibus, Reverendis in Chriſto Patribus Dominis, Matthia de Drzewica, Vladislavien:, Joanne de Lubraniec, Poſnanien:. Fabiano de Luſianis, Varmien: Petro Tomi-

cki Præmislien: Eccleſiarum Epiſcopis, & Regni noſtri Vice-Cancellario: necnon Magnificis & Venerabilibus àc Generoſis, Chriſtophoro de Schydłowiec, Palatino & Capitaneo Cracovienſi, ac Regni Noſtri Cancellario. Nicolao de Lubraniec Poſnanienſi, Nicolao de Dobrowica Sandomirienſi, & Exercituum Regni Noſtri Præfecto Generali, Joanne Zaremba de Kalinowa, Caliſſienſi, Jarosłao de Lasko, Siradienſi, & Nicolao Jaranto de Brudzow, Lancicienſi, Ottone de Chodecz, Ruſſiæ, Andrea de Tenczyn, Lublinenſi, Palatinis. Luca de Gorca, Poſnanienſi, & Capitaneo Majoris Poloniæ Generali. Nicolao de Schydłowiec, Sandomirienſi, & Regni Noſtri Theſaurario. Joanne de Przerąb, Syradienſi. Adamo de Drzewica, Radomienſi, Caſtellanis. Stanisłao de Chodecz, Capitaneo Leopolienſi, & Petro Kmita de Wiſchnicz, Capitaneo Premislienſi, & Curiæ Noſtræ Mareſchalco, Joanne Latalski Gneſnenſi, Cracovienſi & Lancicienſi Eccleſiarum, Joanne Karnkowski, Scarbimirienſi, Joanne Konarski, Archidiacono Cracovienſi, Andrea Kricki, Sancti Floriani in Kleparz, & Nicolao Zamoyski, Tarnovienſi, Præpoſitis, & Cancellariis Cracovienſi, Secretariis Noſtris, & aliis quàm plurimis Dignitariis, Officialibus ac Curienſibus ad præmiſſa Teſtibus fide dignis, ſincerè & fidelibus dilectis. *Datum per manus præfati Magnifici Chriſtophori de Schydłowiec Palatini & Capitanei Cracovienſis, ac Regni Poloniæ Cancellarii, ſincere Nobis dilecti.*

Privi-

Privilegium VLADISLAI Poloniæ & Hungariæ Regis, quô Capitanei Łowicz & Unieiow, ab Expeditione Generali Eximuntur.

VLADISLAUS DEI gratiâ Poloniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Lithuaniæque Princeps Supremus, & Hæres Russiæ, &c. Significamus tenore præsentium universis quibus expedit. Quomodo cupientes ut Castra Łowicz & Unieiow, Reverendissimi in Christo Patris Domini Vincentii Sanctæ Gnesnensis Ecclesiæ, Archiepiscopi & Primatis, sincerè Nobis dilecti, & Ecclesiæ suæ Paternitatis prædictæ, tempore expeditionis generalis Regni Nostri Poloniæ à futuris periculis, & quibusvis invasionibus debitè conserventur: Ex nostra certa conscientia, præfato Domino Archiepiscopo, duas personas idoneas, videlicet Terrigenas & Nobiles toties, quoties universitatem terrigenarum nostrorum, contra quoscunque æmulos Regni Nostri Poloniæ progressum expeditionis facere contigerit, particulariter, vel universaliter, videlicet unam personam in Castro Łowicz, alteram verô in Unieiow relinquendi & statuendi omnimodam damus, & tenore præsentium concedimus facultatem. Et eos terrigenas taliter ut præmissum est, in Castris antefatis locatos & Statutos ab expedititionibus terrestribus absolvimus, & liberos pronuntiamus per præsentes: nec volumus, ut pro eisdem, per Palatinos, Capitaneos, & quosvis alios Officiales nostros quovis modo impedirentur. In cujus rei testimonium, Sigillum Nostrum præsentibus est subappensum. *Actum & Datum Budæ, feriâ quartâ, in Vigilia Sacratissimi Corporis Christi. Anno 1444.*

Ad Mandatum Regiæ Majestatis.

Ioannes Rey, Sancti Michaëlis Præpositus.

Privilegium HENRICI Ducis Poloniæ, Archiepiſcopo, & Vladislavienſi, Poſnanienſi, Epiſcopis, & Eccleſiis ſerviens.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

NOS HENRICUS, DEI gratiâ Dux Regni Poloniæ, Pomeraniæ, Sileſiæ, & Dominus Głogoviæ. Notum facimus, tam præſentibus, quàm futuris. Quod nos ſemper in bonis actibus Progenitores noſtros imitari, prout magis poſſumus cupientes perſonas Patrum Venerabilium, videlicet Domini Jacobi Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, Andreæ Poſnanienſis, Vladislavienſis in terra Pomeraniæ, ac bona ad ipſas pertinentia, talibus honorare voluimus inſigniis libertatum, quod omnes libertates, quas jam dictæ Eccleſiæ in bonis ſuis retinent volumus perpetuò inviolabiles permanere: ità videlicet, quòd in villis & bonis Eccleſiarum dictarum, nunquam ſtationem aliquam faciemus, neque unquam noſtros homines pabulare, quod in vulgari dicitur Piczowáć bona Eccleſiæ permittemus, & quod ſicùt ab initio extitit obſervatum, Canonici dictarum Eccleſiarum, vel villas Eccleſiæ limitabunt, & quòd nullam exactionem in bonis Eccleſiæ, vel petitionem, tam in Jure Theutonico, quàm Polonico faciemus, vel etiam imponemus, ſicùt nec noſtri Prædeceſſores hæc fecerunt: nec bona Eccleſiarum dictarum in aliquo gravabimus, vel lædemus. Volumus etiam quod Canonici, homines exiſtentes in bônis Eccleſiæ judicent, & pænas judiciales percipiant ab eiſdem, niſi quæſtio ſuper hæreditatibus moveretur, quia illam in noſtra volumus præ-

ſentia

sentia judicari. Volumus etiam quod, si miles vel cujuscunque conditionis homo existat ex testamento vel inter vivos aliquid mobile, vel immobile Ecclesiæ donaverit, quod hoc firmum & stabile perseveret, nec in hoc Ecclesiam impedire volumus, imò ut donatum, apud ipsam remaneat, totis viribus adjuvare. Et si quæ utilitates in bonis Ecclesiarum dictarum sunt, vel exorta fuerint in futurum, sive in terris, sive in aquis fuerint, ipsas penes Ecclesias, in quarum bonis inventa fuerint, vel exorta, volumus perpetuò remanere. Promittimus autem, quòd excommunicatos volumus in omnibus actibus legitimos evitare, & si ultra annum in excommunicatione jacuerint, bona excommunicatorum nostro fisco applicabimus, satisfacientes Ecclesiis de eisdem, prout vel in quanto ipsi excommunicati fuerant Ecclesiis obligati. Promittimus etiam dictas Ecclesias, contra earum indebitos turbatores, toto posse adjuvare, & ope nostræ potentiæ fideliter defendere. Volumus etiam, quòd omnes, qui ad decimas tenentur, illas persolvant integraliter in campis, si villa Juris Polonici fuerit, si autem Theutonici maldratas per modium & argenteum, si autem per adjutorium Venerabilium Patrum superiùs nominatorum, ac Ecclesiarum earundem Regias fuerimus Infulas affecuti, Cancellaria Regni penes Posnaniensem Episcopatum perpetuò remanebit, assignatis sibi reditibus, juxta quaslibet Civitates frequentiùs cum nostra Domo nos contigerit. *Actum & Datum in Constan. Anno Domini 1298. in die B. Ioannis Baptistæ. Ad majorem horum certitudinem, præsentes scribi jussimus literas, nostri Sigilli munimine roboratas*

Privilegium Omnium Antiquiſſimum VLADISLAI Ducis Poloniæ, quô Collationes Præbẽdarum Gneſnen. Eccleſiæ Archiepiſcopo renuntiat, vectigalia certa & ſervitutes tollit.

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ TRINITATIS.

EGO VLADISLAUS Filius Odonis, DEI gratiâ Dux Poloniæ, tam præſentibus, quàm futuris, præſens ſcriptum inſpecturis innoteſcere curavi. Quoniam ob reverentiam & honorem Domini Noſtri JESU Chriſti, & Sancti Adalberti Martyris, ad inſtantiam Domini Fulconis, Gneſnenſis Archiepiſcopi, & aliorum prudentum virorum Juri, quòd hactenus in Collationibus Præbendarum Eccleſiæ Gneſneñ credebam mihi competere, prorſus renuntio, eas eidem Archiepiſcopo ac ejus Succeſſoribus libere cui voluerint conferendas, ſalvo eo, ſi fortè per gratiam Domini ipſius aliquid potero habere. Renuntio & omni ordinationi Spiritualis juris, tam domorum religioſarum, quàm Secularium Eccleſiarum. Innovo item libertatem bonæ memoriæ Archiepiſcopo Henrico à me datam, & ipſius Succeſſoribus, & Suffraganeis ejus, eorumque Succeſſoribus, & nunc eandem in terra, quam poſſideo, & quam juſtis modis acquiſiero, confero, quæ talis eſt. Aſcriptiones villarum Eccl. in nullo caſu, nec à me nec à Caſtellanis meis, ſeu quibuslibet, beneficiariis judicari volo, eo tamen excepto, quod liberi homines,

mines, non hoſpites, ſed indigenæ villas Eccleſiarum inhabitantes, coram me tantùm citati reſpondeant, & hoc in ſignum dominii, & ſi in aliquo condemnati fuerint Archiepiſcopo, recipiat in Caſtellania Gneſnen: & in quibus ſuas locaverit curias. Si autem ſolutio, ad pænam duodecem marcarum excreverit & ſuprà, cum Duce ipſam dividet, & hoc tantùm in literis, ut ſupra ſcriptum eſt. Renuntio item pro me & Succeſſoribus meis conſuetudini, quam in Caſtellatura Gneſnenſi tranſeundo habebam, in ea tribus diebus ſtandi, & vectigal, & expenſam accipiendi, ità, quod prorſus ab hac ſervitute Caſtellaturam Gneſnen. liberam facio. Omnes verò aſcripticii à ſervitute, quæ dicitur Powoz, przewod, naraz, naſtawa, przewoza immunes fiant. Equos Ducales, Canes, Caniductores, Falconarios, & Caſtorarios, per villas Eccleſiæ non paſcant, ad ædificationem Caſtrorum non compellantur, præter illud, ſub quo manent. Concedo item eidem Archiepiſcopo, & Canonicis Gneſnen: pro damnis, quæ eis, per guerram noſtram ſunt illata, ut gentes extraneas invitent, & in villis Eccleſiarum locent, qui exempti ſint ab omni obſequio & ſervitute, præter hoc ſolùm, quodſi quæ gentes dominium meum invadant, ſimul mecum, ad reſiſtendum eis occurrant. Hæc autem ut perpetua & inviolata, à me, & à poſteris meis conſiſtant juramento confirmo, & munimine Sigilli mei corroboro, & ad majus robur fidejuſſorem pono Ducem Pomeraniæ Swatopelcum. Si autem aliquo modo hæc violavero, & fuero comprobatus, Dominus Archiepiſcopus ſine omni meo improperio, me in eandem reducat excommunicationem. Teſtes autem in quorum præſentia hæc ſunt acta, ſunt hi Dominus Michaël Cujavienſis Epiſcopus, qui hoc negotium tractavit & ad majus robur, ad meam petitionem Sigillo ſuo roboravit, Domaradus Caſtellanus de Uśćie, Derſicrajus Judex Curiæ, Petrus Boguſz. *Actum in Nakiel Dominica Incarnationis, Anno Milleſimo, Ducèteſimo trigeſimo quarto. Locus * Sigilli, in cera ſubimpreſſi in filo ſericeo pens.*

De

De Controverſia celebri nuperrimè Romæ agitata, motore Andrea Trzebicio, Epiſcopo Cracovienſi, contra Nicolaum Prazmovium, & Andream Olſzovium, Archiepiſcopos Gneſnen: parcendum chartæ, & Præſuleæ dignitati exiſtimo. Neque ſupereſt, quod adiiciam egregiis ſcriptis & ſolidis informationibus præſtantiſſimi Advocati Romani, nunc Regiæ Majeſtatis Poloniæ declarati Agentis Ranucii de Baſchiis, quibus ille oppoſitiones omnes Adverſarii & Sequacium confutavit. Ut ſequuntur.

Ex hac manifeſta Jurium deductione, privilegiorum dignitate, rationum momentis, tandem ſtetit in deciſum.

SAcra Congregatio Eminentiſsimorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, Patribus auditis, referente Eminentiſsimo Caſanate, cenſuit Actum prædictæ ſolennis Coronationis ſpectare ad Dominum Archiepiſcopum Gneſnenſem etiam in Cathedrali Cracovienſi; licentia Domini Epiſcopi Cracovienſis non requiſitâ, ſine tamen præiudicio iurium eiuſdem Domini Epiſcopi Cracovienſis, quo ad cætera.

Romæ VI. Decembr. 1657.

(L.S)

Card: Gaſpar Carpineus

Archiepiſc: Genuen: Secret.

XVII. Hæc pro Juribus & dignitate Archiepiſcopi Gneſnen: non ulla ambitione, ſed gravi neceſſitate (Romæ coram Sacra Congregatione, litigio de Præeminentiis uſque adhuc,

nulla

nulla ex me causa divexor) ac præclara SS. Patrum imitatione qui Ecclesiarum suarum prærogativas intrepidè & firmissimè defenderunt *contra ambititiones illicitas eorum* (verbis Gelasii Papæ apud Baron. ad annum 1099.) *quos non pudebat Ecclesiarum jura turbare, & Privilegia, quæ decrevit antiquitas, avida præsumptione pervadere, non respicientes, quoniam æterno Iudici rationem tam de catholicæ sinceritatis injuria, de traditionum præjudiciis paternarum, non sine perpetuo damnationis interitu sint reddituri.* De S. Lanfraco supra retuli. S. Hilarius Alaretenus, *Inducor* inquit *non amore gloriæ, sed studio tantùm tuendæ dignitatis Ecclesiæ Arelatensis. Malitia enim eorum, qui nos oderunt ascendit semper.* S. Ivo Carnotensis c. 60. *De tantillo Iure, quod habet Ecclesia nostra, nec volumus, nec debemus cedere, cùm Beatus dicat Cyprianus, quàm periculosum sit in Divinis rebus, ut quis cedat jure suo & potestate, Scriptura Sacra declarat: cum Esau Primatum suum inde perdiderit, nec recipere id postmodùm potuerit, quod semel cessit.* Et infrà. *Si autem petitionibus nostris non acquieveritis & aliquod Schisma inde fuerit exortum, securè dicam: neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum.* Rectissimè Pontifex ep: 99. apud Holstenium ad Proclum Patriarcham Constantinopolitanum *Reverentia Vestræ* inquit, *in commune* (id est Tibi & Thessalonicensi Episcopo) *præstatur, si alter alterius honori debita prævenientes invicem charitatis officia præstetis.*

XVIII. Ego sanè non omninò contradixerim, ut Episcopi Cracoviensis & Vilnensis, splendidiore Archiepiscoporum nomine decorentur, dummodo sine Archi-Ecclesiæ Gnesnensis cunctarum Regni Ecclesiarum Matris & Principis, præjudicio. Probo Consilium Joannis Długossi. *Nam Gnesnensi* inquit *non tenuior splendor, sed amplior honor accederet, si potiùs non ad unius Leopoliensis Archiepiscopatus Ecclesiæ, sed ad Cracoviensis addo & Vilnen: respectum, Primas vocaretur.*

XIX. Optandum postremò est, ut Episcopus Cracovien-

 sis,

sis, digna Antistite tranquilla moderatione, & glorioso Eboracensis; contra Cantuariensem exemplo, ultro de cæterò conquiescat: quem Eboracensem (ut S. Lanfrancus Pontifici scribit, apud Cardinalem Baronium loc: cit.) *cùm Rex Angliæ Vilbelmus dulci paternaq; reprebensione argueret, quod contra tantam argumentorum copiam, tam inops rationum venire præsumpsisset.* Respondit; se antea ignorasse Dorobernensem Ecclesiam tot tantisq; authoritatibus, tamque perspicuis rationibus esse munitam. Versus itaque ad preces est. *Rogavit enim Regem, ut me rogaret, quatenus omnem rancorem adversus eum pro hac causa conceptum omitterem, pacem diligerem, concordiam facerem, aliqua, quæ mei essent juris, studio charitatis concederem. Cui petitioni ego libenter, & cum gratiarum actione, assensum præbui, quia miserante* Deo, *non ego, sed ille priscæ consuetudinis violator, causa erat hujus scandali.*